



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.


Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

.74



F.VIII.74

25. Catalogue Biblioteka
Gymnazia Krasnodar.

F.VIII.
74.

Národní knihovna ČR
Historické fondy

F VIII 74

Národní knihovna



1003613156

TRACTATUS JURIS GENTIUM

Exhibens

CENTURIAM CONCLUSIONUM

JURISPRUDENTIÆ UNIVERSALIS,

in quibus,
ad ductum

POSITIONUM COCCEJANARUM,
Selectissimæ Juris æterni Quæstiones

sistuntur & rationibus perspicuis clarissimisque, adjecto
indice, deciduntur ac resolvuntur;

AUTORE

FRIDERICO HERM. CRAMERO.



LEMGOVIÆ,

Typis & sumptibus HENRICI WILHELMI MEYERI;
Aul. Lipp. Typogr. Anno MDCCXIV.

PERILLUSTRI
VIRO ac DOMINO
DN. HENRICO
COCCEJUS,

Jcto Incomparabili,

Augustissimi potentissimique Borufforum Re-
gis Consiliario intimo & in Universitate Regia Viadrina An-
tecessori Primario longeque Celeberrimo, Domino, Moe-
cenati ac Præceptori suo infinitis nominibus
prosequendo,

Felicitatem perennaturam
ac
Spiritus Sancti abundantiam!



VIR PERILLUSTRIS,
Domine Colendissime,

UM CUIQUE TRIBUENDUM
esse, & æternum Naturæ Decretum, &
Sacratissimi Imperatoris verba, & com-
munis hominum Gentiumque persua-
sio abundè docent. Postquam enim sa-
pientissimus Creator Deus hominem,
animal illud sacrosanctum sibi que carissimum & natu-
ralibus potentiis instructum, in medio terræ, imò ex
sententia meliori, in rerum, quæ existunt, centro ita col-
locavit, ut in possessionem ejus quasi induxerit, id per-
petui id immutabilis esse juris voluit, ut cuique de suo
sit statuendi potestas libera, de alterius re nulla. Hæc
A 2 dum

dum scribo, paucula scribo, sed tamen scribo causam, quæ me movit, cur præsentem tractatum Celebratissimo PERILLUSTRIS TUÆ EXCELLENTIÆ nomini consecrare sacrumque facere sustinuerim. Nuperrimè particeps ejus felicitatis eram, ut Collegiis Tuis solidissimis cum publicis tum privatis indies potuerim interesse, studiorumque meorum rationem gerere exoptatissimam. Et quamvis postea, fatis id ferentibus, præcellentissimas ingenii Tui capacissimi dotes cominus venerari nequiverim, nihilominus tamen deinceps principiorum Tuorum accuratissimorum ulteriorem ob oculos culturam posui. Quæ omnia si mente meâ volvo & revolve, ingenuè fateor, nec sine crimine reticere possum, me Tibi multum debere, imò omnes, quas DEO ita volente, vel hic vel alibi unquam facturus sum aut fortunæ aut honoris aut denique ipsius famæ accessiones. Ingratus itaque essem, nisi publico documento testarer publicè, me Tibi multis nominibus esse devinctissimum. Recipe, VIR PERILLUSTRIS, & Venerande Domine Præceptor, hunc, quem Tibi debitâ pietate summâque animi observantiâ ac candore offero tractatum, qui non est meus, sed Tuus: ex principiis quippe Tuis immotis, me duntaxat interprete, constructus. Offero hocce meum otium, in meo otio elaboratum, non quasi velim eo extinguere prorsusque delere omne æs, quo Tibi sum obstrictus, sed ut publicum immortalis mei in Te obsequii ac venerationis maximæ extet

extet pignus & monumentum. In encomia Tua, æternitati pridem dicata, non excurram, dicam tamen verbo, TE esse Virum totius orbis eruditi assensu consummatissimum meisque majorem elogiis. Et si quis consideret illam Tuam magnam indefessamque in deducendis summorum Principum juribus tuendisque adeo Principatibus vigilantiam: illam in adinveniendo restaurandoque Philosophiæ Sanctioris, ipsius Divinæ voluntatis ideæ, principio felicitatem, & in cœlesti hac doctrina, cujus divinitatem intimioremque pulchritudinem pauculis, quas nuper petita veniâ illustravi, positionibus es complexus, experientiam: illam insignem in proponenda vastissimi Francorum Regni, seu Germaniæ antiquæ, virtute Carolingorum bellicâ iterum unitæ, historia fortunam: illud in expolienda Jurisprudencia Germanorum publica mirificum acumen: illam in jure exponendo soliditatem & in applicando constantiam: illam denique in peragenda vita virtuosa gloriosaque perseverantiam & complura alia, passim obvia, hæc inquam opera & illustria & celebria vocabit non privata sed publica, non temporaria sed perpetua, non terrâ sed cœlo dignissima esse. Ut igitur pateat, quantum sit pulchrius, in hoc mundo sublunari tantâ tamque pereximiâ dignitate, quâ dignissimè fulges, esse dignum, quam eam forte tenere. Eo magis supremum Numen intimis suspiriis venerabor, velit P. T. E. omnigenæ felicitatis complexu circumdare, senectam Tuam venerabi-

rabilem vitamque gloriosam & tot rerum, præclarissimè gestarum, monumentis illustratam, ad Nestoreos usque annos perferre: ut & potentissimi Prussorum Regis, & Gravissimorum Republicæ Francicæ Administrorum, & Celebratissimæ familiæ, & orbis eruditi, & Conjunctissimorum Collegarum, & studiosæ juventutis, & tandem omnium, quotquot edecumatam tuam in omni eruditionis genere sapientiam mirantur & toties mirantur, (quos inter & meam tenuitatem referre placet,) vota desideriaque pia implcantur. Vale.
VIR PERILLUSTRIS, & si mereor, Tuo patrocinio ulterius dignare

**PERILLUSTRIS TUÆ EXCEL-
 LENTIÆ**

**Auditorem servumque obse-
 quiosissimum**

F. H. CRAMERUM.

LEG



LECTORI BENEVOLO SALUTEM

Passus fui non ita pridem exspatiari in publicum brevem & succinctum Commentarium, illustrationem in Dn. Cocceji, Viri Summi, positiones pro Explicatione Juris Gentium exhibentem. Causam editionis tum quoque in praefatione evidenter explicui. Cum verò & positionum brevitatis & propositi ratio non permiserint, ad specialia descendere: generalia immota hujus Artis principia commentando saltem emensus sum, specialibus in aliam occasionem tempusque reservatis. Nam pralaudata positiones multum in recessu habent, & in eis tot sunt pondera, quot verba. Nec aberrabo, si dixerò, universam Naturalis philosophia doctrinam, quã perfectissimus Naturæ Arbitrator orbem gubernat hominumque actiones velut trutinâ examinat, in eis latere. Et cum leviculus iste labor, citra ullius vel laudis vel gloria desiderium à meboris succisvis concinnatus, Viris quoque doctissimis, habitâ

bitâ consideratione atatis mea, placuerit, horum ego appro-
 bationibus adductus constitui, ulterius breves & succin-
 ctas hasce Conclusiones, ad ductum & seriem positionum
 Coccejanarum elaboratas, oculis Tuis subjicere. In his
 singula verbis clarissimis exposui & rationibus perspicuis
 resolvui, ut mens & sensus & ratio dictarum positionum
 magis magisque appareat, ususque eorum in decidendis
 specialissimis Juris Naturalis controversiis quoque mon-
 stretur. Hinc tetigi quaestiones juris illius candidissimi,
 non quidem omnes, sed selectissimas & potissimum eas,
 quae in ipsis rerum momentis obtinent, & ex hisce positio-
 nibus accuratissimam decisionem capiunt. In allegando non
 admodum fui liberalis: non quod nescirem, aliorum aucto-
 ritatem in edendis libris subinde sequendam, & veneran-
 da Auctorum nomina citanda esse; sed quod hac illustris,
 quam illustrare quodammodo aggredior, disciplina partem
 Philosophia practica constituat, rationibus magis quam au-
 ctoritatibus illuminanda. Et in hac praestabili scientia, meo
 quidem iudicio, eruditus injuria nulla major infertur, quam
 si credere debeant id, quod ab omni ratione est alienum.
 Interea sanctè polliceor, me illos, quibus in perficienda hac
 opella usus sum, sedulo allegasse, & juxta magistralem
 Actorum regulam cuique suum tribuisse. Hac jam suffi-
 ciant. Tu, Lector optime, vale optime & me ama. Id
 si feceris, meas cogitationes tecum & in alia juris parte
 communicabo. Iterum Vale. Scribebam Detmoldia d. 15.
 Aprilis Anni M DCC XIV.

IN



IN NOMINE
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI,

AD

OMNIA CONSILIA OMNESQUE ACTUS
SEMPER PROGREDIMUR.

L. 2. pr. C. d. off. pref. prat. Afrig.

CONCLUSIO I.

*Jus Naturæ sine Deo ne quidem concipi
potest.*



Acrosanctum Jus Naturæ & quidem
omne ex sola perfectissima Dei vo-
luntate est deducendum. Etenim
(1) DEUS solus J. N. Auctor & Le-
gislator, adeoque sine eo jus illud
nec fingi nec esse ullâ ratione potest.
Accedit (2) quod præter Creatorem
Deum reperiatur nullus, cui facultas legitima & vis
competat, actiones totius humani generis cohiben-

B

di

di. Imprimis (3) cum præter Creatorem res cæteræ sint creatæ & homines æqualibus agendi potentiis à Natura instructi. Ergo (4) absque Creatoris concessione nemo facultates, creaturis datas, restringere valet. Quocirca (5) ex Dei voluntate solum omnis æterni hujus juris obligatio fluit, eaque sola illius verum, unicum & adæquatum principium est: quia ex ea omnia J. N. capita derivari inque illam omnia iterum resolvi possunt, ut Illustri Jctus, *de princip. Jur. Nat. Qu. 2.* plenius demonstrat. Hinc (6) Hugo Grotius *d. J. B. & P. proleg. §. II.* erroneum errat errorem, quando existimat: *dari Jus Naturæ, etiamsi daremus, non esse Deum.* Enim verò sublatò Deo, nullum existit ens, quod humanas actiones ullo modo impedire & prohibere valeat. *pos. III.*

CONCLUSIO II.

Jus Naturæ à Deo mutari nequit, non propter defectum potentie, sed voluntatis Divine.

Cum Jus Naturale omnisque ejus obligatio ex voluntate Dei non aliunde, ut modo dictum, oriatur, exinde patet: mutationi idipsum neutiquam obnoxium esse. Siquidem (1) omnis mutatio perfectionem, vel ex pœnitentia vel ex ignorantia futuri profluentem, involvit, quæ in Deum ejusque voluntatem perfectissimam non cadit: quia imperfectio vel minima naturam Dei planè everteret. Et pro-

perfecto (2) Deo imperfectionem attribuere, idem esset, ac dicere, Deum non esse Deum. Attributo enim negato, negatur ipsa res, quatenus de illa id prædicatur. Ergo (3) Jus Naturæ est immutabile, quia Dei voluntas, illud constituens, est immutabilis; non quod Deus non posset id aliter facere, si hoc vellet, sed quod non possit aliter velle, etsi possit hoc facere: non quod extra Deum sit aliqua vis, quæ ipsum ad observationem juris semel statuti compellat, sed quod necessitas intrinseca Dei voluntatem comitatur, ut nequeat mutare, quod semel ordinavit, quia id, quod fecit, sapientissimè fecit; Et sic voluntas perfectissima quoque est immutabilis. Est sic, inquam, Jus Naturale, ex voluntate perfectissima profluens, est immutabile.

CONCLUSIO III.

Jus Naturæ obligat & pacis & belli tempore, & summos principes æque ac privatos.

Augustum Naturæ Jus, quo Divinus rerum hominumque conditor in gubernatione hujus universi utitur, toti hominum societati, nemine excepto, vinculum imponit. Mirandum igitur, nonnullos adeo bonæ mentis oblitos esse, ut effectum ei nullum in bello assignent, consequenter Summarum potestatum, quæ in suis terris & provinciis nullius hominis imperio sunt subjectæ, lites ac controversias, non

nisi ense finiendas, eidem eximant: quos rectissime confutat Grotius in opere immortali *de J. B. & P. prol. §. 21. &c.* Etenim cum (1) Deus omnium & omnium, quæ sunt, causa, omnisque in mundo perfectio & potentia sit à Deo & in Deo, ceu ente perfectissimo; ens autem perfectum esse perfectum statim desinat, imperfectumque fieri incipiat, cui vel quicquam imperfectionis adscribitur: aut cui aliquid, quod est, vel esse potest, deest; aut quod optimo providentiæ consilio non regit curatque id, quod est in ipso, ab ipso & per ipsum. Cum, inquam, homines ad unum omnes, in domicilium terræ à Deo producti, sub imperio Dei comprehendantur, huicque extra controversiam absolutum jus competat in creaturas suas & homines à se conditos: certè nihil magis est absurdum, quam putare, Deum & perfectissimum & potentissimum non omnium, quæ in mundo aguntur, accuratissimam curam gerere, atque adeo summorum societatis humanæ Rectorum lites relinquere incuratas; vel æterna Naturæ legem ad belli tempus haud spectare. Silent in bello leges positivæ, & certo populo præscriptæ atque ad certum territorium accommodatæ: non autem in eo silent leges æternæ, perpetuæ ac immutabiles. Silent in belli strepitu leges Dei mortalis, non leges juraque Dei immortalis. Enimverò (2) tuus illud sanctissimum Dei vicè & auctoritate tuendi & inter homines exequendi justitiam, divinæ voluntatis regulam, supremus Rerum Arbiter delegavit commisitque populorum Rectoribus in suos cives, qui idcirco jussibus eorum parere tenentur. *pos. XIII.* At quando inter ipsas summas terrarum

terrarum potestates controversiæ intercedunt, illæ, terrestri iudice careant, non possunt non bello, tanquam unico controversias definiendi medio, decidi; *pos. XIV.* in quo iustitia non tollitur nec leges silent. Nam ibi perfectissimus Rectorum Rector iustissimi & à partium studio remoti iudicis officium immediate suscipit, quia id nemini commisit. Et cum igitur in hac belli alea nullus homo, sed solus Deus sit unicus iudex: equis dubitet sanus, quin sententia, quæ ab ente omnium perfectissimo & iustissimo, quod immutabiliter iustum est, & iustitiam ne quidem per momentum à se deserere potest, fertur, iustissime decidatur. Hinc & (3) exitus belli sequitur iustitiam causæ, nisi vel partes ipsæ officio suo non ritè fungantur, vel in pœnam eventus mutetur, & scelera populi bello vindicentur; vel denique adhuc supersit hominum iudicium: partes autem, spreto competente iudice, privatæ pugnæ causam committant; quemadmodum perill. *Dr. Coccejus in Disp. de Justo præliorum Exitu* egregiè demonstrat Gentiumque consensu firmat. Sed & (4) cum J. N. sit universale, etiam summos principes omnesque, qui in excelso ætatem agunt, obligat, eorumque agendi potentias sive in pace sive in bello cohibet. Nam & hoc jus est humani generis, & principes populique liberi humano genere continentur. Ut proinde (5) non nisi per ignorantiam dicatur, J. N. ad belli tempus non pertinere, litesque summorum Imperantium eo non dirigi ac terminari. Quippe adeo ad omnes mundi potentias extensa est Dei cura, ut nec pilus decidat capite citra ejus voluntatem. Inde Grotius *d. tr. l. 2.*

cap. 20. §. 46. n. 2. satis cautè & prudenter ait : *Revera negare , Deum esse , aut negare , à Deo curari actiones humanas , si moralem effectum respicimus , tantundem valere.*

CONCLUSIO IV.

Jus Naturæ non est dictamen rectæ rationis : licet hæc sit medium id cognoscendi.

Cum J. N. tantum constituat æterna immutabilisque Dei voluntas, factò declarata : *pos. III. & IV.* exinde ultro sequitur , illud per dictatum rectæ rationis male definiri , ut quidem facit Grotius *d. J. B. & P. l. i. c. i. §. 10. n. 1.* & Hobbesius *de cive c. 2. n. 1.* Quandoquidem (1) hæc vox nimis indefinita & certo sensu caret : cum multa sint rectæ rationis dictata , quæ tamen à Jure Naturali planè sunt distincta. Adde (2) quod ita essent tot Jura Naturæ , quot sunt homines , quia cujusque sententia est aliquod rationis dictatum. Imò (3) sic orietur summa litium messis , si alter alterius rationi cedere nollet. Planè (4) hac ratione inter J. N. & reliquas disciplinas artesque tum liberales tum illiberales nulla intercederet differentia , omnibus quippe ex dictamine ac principio rectæ rationis profluentibus. Ne dicam, (5) quam periculosa sit hæc definitio : ita sanè in cujusvis liberrimo fitum esset arbitrio , hæreticas suas opiniones sub clypeo dictati rationis rectæ pro Jure Naturali nobis

nobis obtrudere, atque adeo vim sanctissimi hujus juris eludere: præsertim quia J. N. quisque, experientiâ teste, peritus facile vult videri, & pro summa habet injuria, si quis existimet aliter. Lege Dn. Coccej*cit. tract. d. princ. J. N. p. 2. pag. 27. n. 16. &c.* Id tamen (6) certum est, sanam rationem medium aliquod esse, quo J. N. placita ac voluntatem supremi rerum Arbitri intelligimus: teste Celeberimo Kulpsio *Coll. Græc. E. 1. p. 15. th. 5.*

CONCLUSIO V.

Consensus Gentium Jus Naturæ illustrat quidem, non autem probat.

Voluntas perfectissimi Creatoris, Jus Naturæ faciens, *pos. III.* ex ipso Naturæ factio, scilicet æterno creationis opere, probatur; *pos. IV.* quorsum collimat Apostolus *ad Rom. c. 1. v. 19. &c.* Id enim sensibus omnium, qui sunt & veniunt, ita objicitur, ut voluntatem Numinis exinde satis cognoscere possint, ut demonstravi in *commentario ad d. pos. IV.* Censuram itaque meretur magnus cæteroquin Grotius, quando *in alleg. c. 1. §. 12.* ad probationem J. N. consensum Gentium communem adducit: *Nam, in-quiens, universalis effectus universalem requirit causam: talis autem existimationis causa vix illa videtur esse posse præter sensum ipsum, communis qui dicitur.* Siquidem (1) historia temporumque annales abundè docent: Gentes sæpius falsissima & ab omni ratione aliena approbasse, quemadmodum in plurali-

pluralitate Deorum erravere. Unde Jus Naturæ, quod certum esse debet, desumi nequit. Accedit (1) quod Gentes non ideo in aliquid consentiant, quia J. N. est, sed quia cum primis illud ipsis utile videtur & ad conservandum statum suum necessarium. Adde (2) quod ita Jus Naturæ locis variaret. Nam quæ nobis decora honestaque videntur, alibi turpia censentur; vid. præf. in *Cornel. Nepot.* Certè (4) is modus maximam sapit difficultatem, imo impossibilis est, ut ostendit Hobbesius *de Cive c. 2. §. 1.* quem sequitur Pufendorfius *d. J. N. & G. l. 2. c. 3. §. 7.* & Schoockius *de Jur. Natur. p. 18. §. 12.* Hinc (5) consensus Gentium J. N. neutiquam probat, at magnam pro eo præsumptionem facit. Verum Jus Gentium secundarium, quod Gentes ob communem utilitatem & necessitatem constituerunt; §. 2. *Inst. d. J. N. G. & C.* plenè probat, cui tamen summæ terrarum potestates non obligantur, utpote quæ aliarum Gentium potestatem legislativam in se non agnoscunt; Dn. Coccejus *d. princ. J. N. p. 1. proem. §. 8.*

CONCLUSIO VI

Jus Naturæ ad salutem est insufficiens.

Celebris multumque agitata quæstio est: An Jus Naturæ ad salutem æternam sit sufficiens? Videtur mihi, salvo rectius sentientium judicio, Jus Naturæ ad consequendam felicitatem æternam haud sufficere, non quidem suo sed hominum vitio: non quasi vitium esset in ipso Jure Naturali, sed quia vitium reperitur

reperitur in hominibus. Enimvero (1) ad felicitatem æternam requiritur exactissimum virtutis, in perfectione consistentis, exercitium, quod homines in statu deperdito assequi nequeunt. Et Justitia nihil meretur; sed duntaxat à pœnis absolvit. Cæterum (2) si homines in statu innocentia perdurassent, salvi per Jus Naturæ fieri potuissent. Tunc enim nullum peccatum, consequenter nec Servatore opus fuisset. Sed cum jam (3) humanum genus, in protoplastis est lapsum, Servatoris adventus necessarius fuit, quo ipsius meritum homines vera fide perfectionumque operibus sibi applicare & sic venerabilem cœli victimam acquirere queant. conf. Schoockius *d. Jur. Nat.* pag. 84. §. 59.

CONCLUSIO VII.

Permissio est omnino Legis actio.

Homines liberrimam agendi facultatem habentes, licite agunt vel omittunt, quicquid volunt & naturâ possunt; non tamen ex sententia *Hobbessii* & *Spinosa* in infinitum: sed tamdiu, donec monstretur prohibitio & actionis restrictio, ab eo facta, qui jus prohibendi possidet. Hinc si non adsit prohibitio, vel non appareat prohibentis voluntas, actiones humanæ omnes sunt licitæ. *pos. i.* Ex quo sequitur: opinionem Grotii *in d. c. i. §. 9. n. 7.* & Pufendorffii *in d. tr. L. 1. c. 6. §. 15.* existimantium: *permissionem non esse legis actionem, sed actionis negationem*, oppido falsam esse. Siquidem (1) permissio non est negatio actionis, sed prohibitionis, quæ sibi invicem opponantur. Quod est licitum non est

est prohibitum, & quod est prohibitum non est licitum. Hinc (2) nemo sanæ mentis putabit, et actionem negari, cui permittitur, & facultas agendi, à lege & voluntate superioris dependens, datur. Is enim actionem pro lubitu ad effectum deducere potest. Ergo (3) permissio est legis actio, & licite agimus, donec prohibeamur. Hinc Jus in permissivum & præceptivum optime dispescitur. *pos. II.* Neque id JCtus Romanis ignotum fuit: ita namque Modestinus in *L. 7. ff. d. LL. legis*, inquit, *virtus hac est, imperare, vetare, permittere, punire.*

CONCLUSIO VIII.

Servator mundi non fuit Legislator.

Vir omni elogio major, Hugo Grotius in mirando opere *d. J. B. & P. L. I. c. 1. §. 15. n. 2.* humano generi ter jus datum esse asserit, cui omnes homines, quatenus ejus notitiam sunt consecuti, obligantur. Veluti (1) post hominem conditum, (2) in restauratione humani generis post diluvium (3) in sublimiori restauratione per Christum. Verum species ultima, qua Christum fingit Legislatorem, plane non est admitenda. Nam (1) ut quis leges constituat, requiritur territorium, quo Christus caruit, dum ipse confitebatur, se nil quippiam terræ propriæ habere, ubi caput reclinaret. Quin (2) Servator fuit Doctor Ecclesiæ, & virtutum perfectionumque regulas inculcavit; At veræ Doctor Ecclesiæ, non dat leges, sed officium monendo, adhortando, persuadendoque exequitur. Dn. Coccejus *J. P. cap. 18. §. 1. &c.* Inde Hobbesius *de cive c. 17. a 6.* rectè ait: *Regimen quo fideles suos in hac vita Christus regit,*

regit, non est propriè regnum, sive Imperium, sed munus pastoritium, sive jus docendi: id est, non dedit ei Deus potestatem judicandi de meo & tuo, sicuti regibus terræ; nec potestatem cogendi per pœnas; neque leges ferendi, sed mundo ostendendi, & docendi viam & scientiam salutis, hoc est predicandi & explicandi, quid faciendum iis sit, qui in cœlum intraturi sunt. Hinc

(3) Christus ipse *Matth. 5. v. 17.* dicit, se non venisse, ut legem daret, sed ut impleret. Neque (4) Regnum ejus de hoc mundo erat. *Joh. 18. v. 36.* Salvator quidem Jus, in antiquo fœdere expositum, sæpius allegavit, quando inter alia ait: date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei; *Matth. 22. v. 21.* Verum id noviter haud constituit. Aliud est legem citare & allegare: aliud dare & de novo constituere. Hoc est Imperantis, adeoque superioris: Illud quoque inferioris & privatorum, conf. Du. Kestneri, Jcti Celeberrimi & Patroni mei venerandi *Tract. J. N. cap. 1. §. 19.* Interea solidioris conceptus gratia duo hic sunt observanda: (a) Quoties Servator ex V. T. in N. T. Jus recipit, id ipsum Naturæ jus est. (b) Quoties autem Christus aliquid præcipit & inculcat, id mera virtus est, sub spe præmii obligans, conf. *Matth. c. 5.*

CONCLUSIO IX.

Lex Mosaica, quatenus non est moralis, alienigenas obligare non potuit, nec adeo ad salutem gentium existit necessaria.

Indubium est, neminem lege constringi, nisi cui ea est
 præscripta. Cum enim homines liberrimis agendi
 potentiis à Natura sint instructi, necessario omnes eo-
 rum actiones sunt permiffæ, donec lege superioris re-
 stringantur; *pos. 1.* Ex quo intelligitur, Alienigenas pe-
 regrinosque inter Israelitas viventes legi Mosaicæ neu-
 tiquam obstrictos, atque sic eam ad salutem gentium,
 extra Judæismum viventium, haud necessariam fuisse.
 Etenim lex illa solis Hebræis erat constituta, uti id ipsum
 docet summus Grotius *d. c. 1. §. 16.* proinde alias Gen-
 tes per naturam obligare non potuit. Inde Grotius *d.*
l. §. 16. n. 7. eleganter *Hinc, inquit, colligimus, nulla*
parte legis hebrææ, qua lex est proprie, nos obligari,
quia obligatio extra jus naturæ venit ex voluntate legem
ferentis. Deum autem voluisse, ut alii, quam Israeli-
te, ista lege tenerentur, nullo indicio potest deprehendi.
Non igitur, nos quod attinet, probanda est ulla legis
abrogatio: Nam nec abrogari potuit eorum respectu,
quos nunquam obstrinxit. Sed ab Israelitis ablata est
obligatio, quoad ritualia quidem statim, postquam lex
Evangelii cepit promulgari, quod Apostolorum princi-
pi Act. 15. clarè fuit revelatum; quoad cetera vero,
postquam populus ille per excidium urbis & desolatio-
nem, præcisam sine spe restitutionis, populus ef-
se desit. Verum cum & Theologi & Jcti hac
in re valde dissentiant, soliditatis causa notandum
est: Legem Mosaicam partim moralem, partim posit-
vam esse, & leges hebræorum proponere. Quam di-
stinctionem ipse Moses quoque exprimit. Deut. 6. v. 1.
ibi: Hac sunt præcepta & ceremonie atque judicia: ubi
per prius leges morales, per alterum ceremoniales, per
terti-

tertium forenses intelligit. Igitur quatenus lex Mosis est *moralis*, eatenus omnes homines, ejus notitiam habentes, obligat, nec ab eis, qui salvi esse voluere, omitti potuit. vid. Reinkingius, Jctus egregius, in *tract. d. R. s. & E. L. 2. Cl. 2. Cap. 2. §. 1. & seqq.* quatenus autem *positiva* alienigenas non obstringit. add. Dieter. *Inst. Cath. pag. m. 72.* & Reinking. *d. l. c. 3. §. 1.* Neque vero veritatis tabernaculum expugnabit, si quis dixerit: legem hebraicam sub se ceremoniam comprehendisse, hanc autem typum futuri Messiae designasse: Nam repono ipse typus erat aliquid *positivi*. Interea quin Gentes, etiam extra judaismum salvæ evasuræ, in Messiam ejusque meritum credere debuerint, dubitatione caret. confer. Gronovius *ad h. l. Grotii.*

CONCLUSIO X.

Præceptum de esu sanguinis tantum fuit positivum, non morale.

Inter præcepta, quæ in restauratione humani generis post diluvium Noacho ejusque posteris data sunt, reperitur & illud, de non comedendo sanguine, cujus sedes habetur *Gen. c. 9. §. 4. ibi: Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis.* Intelligitur autem hoc loco esus sanguinis crudi & quasi viventis. Quamobrem tum inter Theologos tum Jctos valde disquiritur: Utrum illud sit J. N., sive *moralis*, & ita perpetuum? Id quidem Grotius *d. §. 16. n. 3.* multique, qui cum eo inflant tibias, existimant. At meâ sententiâ rectius sentiunt negativam opinionem amplectentes, cum ex nul-

lo indicio illa Naturæ Deique voluntas elucescat. *pos. 1.*
 Tametsi enim *d. c. 9. v. 5.* Creator Deus rationem ad-
 jiciat: se sanguinem humanum tam in brutis quam in ho-
 minibus vindicaturum, exinde tamen colligi nequit; sanguinem animalium esse sanctum, atque adeo ipsius
 esum eo præcepto simpliciter prohiberi; Sed cum om-
 nnis vita in sanguine consistat. *v. Lev. 17. v. 11. Deut. 12.*
v. 23. isthoc præceptum Deus sacramentum interdicti
 de sanguine hominis effundendo, *v. Gen. d. c. 9. v. 5.* &
 symbolum voluntatis suæ sanctissimæ esse voluit, quo
 demonstraret, quam charus & pretiosus sibi sit sanguis
 hominis, ut eo magis illos à mutuis cædibus & interfe-
 ctionibus arceret. Eatenus morale dici potest. *conf.*
Act. 15. v. 20. & 29. aliàs autem positivum & adveneti
 Messiæ sublatum. *evolve Lev. 3. v. 17. & 7. v. 26. & 27.*
& 19. v. 2. & 26, Deut. 12. v. 16. & 23. & 15. v. 23. 1. Sam.
14. v. 32. addatur Selden, *d. J. N. & G. L. 7. c. 1.*

CONCLUSIO XI

Jus decimarum est positivum, non morale.

Innuit æterna lex Naturæ, sive moralis, Clericis ali-
 quid dandum esse, unde congrue queant vivere. Nam
 esurire homines, spiritualia tractantes, ipsis laicis tur-
 pe foret. Veruntamen certa portio Juris non moralis,
 ut quidem existimat Grotius *d. l. §. 17. n. 4.* sed mere po-
 sitivi est. perill. *Dn. Coccejus J. P. c. 23. §. 56.* Inde Rein-
 kingius *d. R. S. & E. L. 3. Cl. 1. c. 8. §. 8.* optime sentit:
Institutionem decimarum non esse Juris Divini quoad
certam quantitatem: esse tamen quoad congruam sacer-
dotum sustentationem; quem sequitur, cum multis aliis,

Car-

Carpzov. *Jurispr. Consist. L. I. t. 8. D. 125.* Enimvero (1) ex ratione naturali, cum medio J. N. five M. cognoscendi, nullo modo apparet, quod homines, circa spiritualia occupati, præcise partem decimam habere debeant. Præferim (2) cum pari ratiocinio exinde demonstrari queat, eis non decimam sed vigesimam tantum partem deberi. Porro (3) officia, quæ gerunt Clerici, sunt ab instituto humano, qua de re decimæ, quas eorum intuitu accipiunt, a natura esse nequeunt, quia nulla concipitur obligatio, nisi objectum obligatorium præcedat. Quin (4) nec in Evangeliiis, nec apud Apostolos ullum invenitur præceptum de illis præcise solvendis; ut eleganter ostendit Dn. Coccejus *Disp. d. præscript. Immem. c. 5. n. 31, cum illis, quos citat.* Interea movet scrupulum, quod decimandi jus fere ubique obtineat & sit universale; Verum huic rei illustre illud exemplum Abrahami, Melchisedeco eas præstantis, *Gen. 14. v. 20.* ansam dedisse videtur, quod deinde traditione ad plures Gentes pervenit, cum primis, quia multi populi Abrahamum Conditorem venerantur. Adde Abrahamum decimas non ex necessitate, sed utronealibetate, absque præcedente præcepto dedisse, quod factum legi universali robur accommodare nequibat. Hinc constitutio Juris Canonici in *tot. tit. d. decim.* quæ decimas etiam hodie J. N. & D. debitas esse dicit, eamque sententiam sub pœna hæreseos amplectendam jubet, & erronea est & fulgur ex pelvi, cujus terribili fragore homines, jurisdictionem papalem evomentes, vix percellentur,

CON-

CONCLUSIO XII

Mare omnino potest occupari.

QUAMVIS Grotius *d. J. B. & P. L. 2. c. 2. §. 3. n. 1.* existimet; *mare sumptum aut sub ratione integri aut sub ratione precipuarum partium in proprium jus abire non posse*: verius tamen est, mare & natura & jure occupationi esse obnoxium. Dn. Coccejus *d. J. B. & P. in S. R. P. p. 80. Q. 3.* Nam (1) occupare nihil est aliud, quam rem in plenissimam custodiam redigere, & quidem ita, ut alium inde arcere queamus. Sicuti autem hoc in terra fieri potest, ita quoque in mari, v. g. classe, castellis, portibus. Præsertim (2) quia mare est res nullius, adeoque optimo Jure occupanti cedit, quippe hic in facultate sua naturali à nemine hæctenus impeditur. Adde (3) quod Natura hominibus jus dederit in universam terram, *pos. V. n. 1.* & sic quoque in mare, ceu ejus partem. Nam concessio totius involvit concessionem partis, in toto comprehensæ. Tandem (4) navigatio ad conservationem vitæ humanæ necessaria est, neque ulla ratione ea prohibita apparet. Dn. Coccejus *d. l. pag. 72. Q. 1.* Igitur & ea ad occupationem maris licite utimur *pos. 1.* Et (5) hanc sententiam Grotius *d. l. c. 2. §. 13.* approbare videtur, quando concedit, maris partem occupari posse. Nam si mare per partes potest occupari, non est impossibile, ut in totum occupetur, & sic, quatenus occupatum, pleno arbitrio nostro subjiciatur ac dispositioni. Consule Pufendorffium *d. J. N. & G. L. 4. c. 5. §. 5. & 6.* & Kulpif. *d. l. p. 37. th. 2.*

CON-

CONCLUSIO XIII.

Occupatâ terrâ, mare simul occupatum non intelligitur.

Argumentatio ab uno ad aliud nec solida est, nec semper procedit. Unde concluditur, ex eo solo, quod terras populus occuparit, mare occupatum colligi non posse, ut rectè tradit Grotius *d. c. 3. §. II.* Nam 1) terra & maria sunt diversa, adeoque occupatio unius non infert occupationem alterius. Inprimis 2) cum occupatio, in facto consistens, non præsumatur. Et ita animi actus haud sufficit, sed actu externo, & quidem tali opus est, unde occupatio sufficienter intelligi queat. *pos. VI.* Præterea 3) si maria essent territoriorum accessiones, universa terra esset accessio unius territorii, quia omnes ejus partes continuo nexu coherent. Secus tamen hoc est, quando 4) maria & flumina non alluunt territoria, sed iis sunt inclusa. Grotius *d. l. §. 10. n. 2.* Hæc enim eorum partem constituunt, adeoque simul occupata censentur.

CONCLUSIO XIV.

Obligatio ad concedendum transitum est ipsius Juris Naturalis.

Jus transitus non ab utilitate innoxia; uti putat Grotius *d. c. 2. §. 13. n. 1.* Pufend. *d. l. b. 3. c. 3. §. 5.* Kulpisius *d. l. p. m. 40. tb. 6.* cum exinde tanquam ex humanitate & virtute nullum Jus oriatur, sed ab ipsa Natu-

D

ra

ra derivandum est. Nam 1) fructus terræ ejusque utilitates hominum causa Natura producit *pos. VII.* Cum igitur non omnis ferat omnia tellus, hinc Natura voluit, ut unius in uno sterilitas, cum fertilitate alterius in altero compensetur *pos. IV. n. 2.* At verò non admisso transitu homines à jure contrahendi, & mutuis commerciis rebusque sibi ad vitæ sustentationem necessariis contra intentionem Numinis, ex fine elucentem, *pos. IV. n. 3.* excluderentur. Adde 2) quod remoto Jure transitus repetitio Juris sui fieri nequeat, si pars terræ intermedia esset, cum tamen defensio sit J. N. *pos. V. n. 2. & 3.* consequenter & transitus, tanquam unicum & necessarium medium Juris sui repetendi. Natura enim dum jus dat ad finem, simul jus concedit ad media, quæ ad finem perducunt, *pos. IV. n. 4.* Porro 3) transitus est aliquid individui, quod proinde per universam terram occupari, & in potestatem redigi non potuit. Ergo transitus nunquam occupatus, sed ut aer communis mansit. Inde Dn. Reichenbach *Dissert. de Regal. Viar. public. Jure §. 9.* bene ait: *Hoc Jure (transitus) negato corrueret necessario omne humani commercii vinculum, quod consistere nequit sine publica invicem adeundi licentia; divisisque territoriis id actum, ut dominia, non vero jus transeundi, quod suâ quoque naturâ individuum est. L. 17. ff. d. serv. divideretur; non ut secluderentur à se invicem homines, sed ut quisque re sua frueretur; & denique stabiliendi non destruendi humani commercii gratia. Mansit ergo omnium, quod nec divisum est, nec dividi potuit.*

CON-

CONCLUSIO XV.

Transiens Domino indicare tenetur, non ad jus consequendum, sed ad cavendum damnum.

Competit Jus transitus à Natura omniaque ad eum obtinendum & expediendum necessaria, *pos. IV. n. 4.* Unde ultro sequitur, transiturum neutiquam territorii Dominum ad consequendum transitum compellare teneri ex sententia Grotii *d. §. 13. n. 3.* utpote cum compellatio sit meræ humanitatis, non juris. vid. Excell. Kestner *J. N. c. 2. §. 22.* Etenim 1) Jus transitus est, uti dictum, à Natura concessum, adeoque id ipsum licite in actum traducitur, *pos. I.* Inprimis 2) quia territorii Dominus transitum impedire nequit. Quocirca frustra ejus consensus requireretur. Nam consensus in iis saltem necessarius est, quæ ab arbitrio consentientis dependent, *pos. VI.* nec rogandus est multis precibus obligatus, ut satisfaciatur obligationi. Accedit 3) quod aliàs quoque privatus, per alienum territorium transiturus, prius Domino indicare teneretur. Secus illa se habent, quando 4) de securitate transitus est cognoscendum, veluti si metus invasionis subsit, quo casu cautio exigi potest. Quando autem probabiles metuendi rationes defunt, vel cautiones rejiciuntur, denegatio transitus legitimam belli causam præbet. Reinking. *d. tract. L. 2. Cl. 3. c. 2. §. 43.*

CONCLUSIO XVI.

Transitus metu belli impediri, non injustum bellum moventi denegari potest.

Nullum est dubium, quin transitus denegari queat, si tertius, contra quem is petitur, idcirco minetur bellum. Præsertim quando metus ille non est vanus, & ex concessio transitu apparet, periculum certò secururum, uti si potentissimus minas suas in effectum deducere sit solitus. Enimverò, tum non est innoxius transitus, qualis saltem præstandus. Nam an damnum sit præsens, an vero certe sequatur, parum vel nihil æstimatione morali differt. Nec defensio Juris nostri in rebns humanis caret aliqua latitudine. Procedunt hæc aliter, si transitum petens, injustum moveat bellum, vid. Grotius *d. c. 2. §. 13. n. 4.* Nemini enim facultas competit judicandi de re controversa, nisi quis hosti assistere, & ejus causam active & passive sequi velit. lege Dn. Cocceji *Diss. de postlim. in pace Sect. 1. §. 4.*

CONCLUSIO XVII.

Dominium & furiosis & infantibus quoque competit, sed administratio illis adempta.

Cum tota dominii ratio & vis in liberrima consumptione, actum corporis involvente, versatur, malè existimat magnus cæteroquin Grotius *de J. B. & P.*

L. 2.

L. 2. c. 3. § 6. in infantibus & furiosis dominium non dari ob rationis defectum. Verum error Grotii exinde videtur natus, quod in dominio actum corporis, qui & in infantes & furiosos cadit, cum actu animæ seu administratione planè miscuerit. Certum igitur est, infantibus, etsi impuberibus, & furiosis, etsi ratione destitutis, dominium æquè ac aliis competere naturaliter. Etenim 1) summus rerum Creator homini non uni nec certis, sed omnibus utendi ac consumendi facultatem concessit, quam proinde licitè exercent, usquedum probetur ejus restrictio, quæ non adest, vel non apparet. Verum non esse & non posse ostendi in sensu Jctorum idem est, *pos. I.* Accedit 2) quod Deus terræ fructus non alio fine produxerit, quam ut homines inde alantur; introspecte *Comment. ad pos. V. n. 1.* At verò tam infantes quam furiosi hominum numero & appellatione comprehenduntur. Quia 3) si statuamus secus, vitam suam hi conservare non possent, *pos. IV. n. 4.* Nam conservatio fit ex propria non alterius re. Verum admissa Grotii sententia aliis saltem puberibus & sanis dominium fructuum terræ deberetur, & sic hi vigore sui dominii infantes & furiosos ab usu terræ citra ullam injuriam possent excludere, *pos. V. n. 2.* De suo enim quemvis liberrime disponere constat, *L. 21. C. mand.* Et sic 4) humanum genus, quod per propagationem Natura vult æternari; *pos. V. n. 5.* penitus periret, quia ejus finis non nisi per productionem infantum, quales nascimur omnes, obtinetur. Interea 5) administratio dominii rerumque suarum iis est ademta, cum hæc prudentiam animæ & maturum judicium, quo destituuntur infantes & furiosi, requirat,

rat, *pos. VI.* Hinc illa vel naturaliter parentibus, vel his morte sublatis, Magistratui, eis vel tutores, vel curatores constituenti, competit. Ita hanc materiam explicuit Dn. Coccejus, Vir Eruditionis minime vulgaris in *praelectionibus F. N. & G.*

CONCLUSIO XVIII.

Dominium plenum F. N. sine traditione non transfertur.

Controversia acris est inter Dd. An traditio de Jure Naturali ad translationem domini fit necessaria? Aliis eam affirmantibus, aliis autem negantibus. Verum ego vereor, ut illi, qui hanc quaestionem absque distinctione resoluturi sunt, obtineant, quod intendunt animo. Scilicet utraque sententia sano sensu defendi potest & debet. Praenotandum tamen, dominium esse legitimam facultatem re pro lubitu utendi. *L. 21. C. Mand.* Usus ejus duplex est: vel 1) naturalis, ad quem Natura rem condidit, uti vinum ad bibendum, cibum ad edendum &c. vel 2) civilis & ab instituto, veluti, quod res permutari, vendi, locari &c. possit. Ille nunquam sine re esse potest. Per naturam enim impossibile, ut vinum bibam, quo careo, & cibum edam, quem nullis comprehendo sensibus. Hic aliquando potest. Nam rem meam vendere tibi in hunc quoque effectum, ut contractus sit perfectus, tibi que juris remedia v. g. vindicatio, condictio &c. competant. Hisce positus in eam opinionem propendo, etsi lege dominium aliquod cum effectibus civilibus possit constitui, naturale

le tamen & plenum dominium sine traditione transferri nequit. Contradictorium quippe est, re pro arbitrio uti, quam non habeo. consule Pufend. *d. J. N. & G. L. 4. c. 9. §. 4. & seqq.*

CONCLUSIO XIX.

Fera, nostræ custodiæ exempta, desinit esse nostra.

Possessio est naturalis facultas incumbendi rei cum animo tenendi conjuncta. Hæc cum non solum mentis, sed & corporis actum supponat, necessario perit, quando facultas tenendi in perpetuam sublata in re appareat. Dn. Coccejus *Hyp. Inst. pag. 165. §. 9. & 10.* Ex quo colligitur: sententiam Grotii in *d. L. 2. c. 8. §. 3. n. 1.* ubi putat: feram, in libertatem naturalem sese recipientem, nostram manere, oppido falsam esse. Siquidem 1) Dominus feræ hoc casu omnium tenendi tum disponendi facultate destituitur, nec in ea ullum dominium vel possessio superest. Eadem ratio est, 2) si quis annulum, in medio mari amissum, se adhuc possidere diceret. Et quamvis 3) notam aliquam habeat, unde dignosci queat, nihilominus tamen idem dicendum, quia spes recuperandi ita deficit. Neque vero 4) dixeris non esse penitus impossibile, ut fera iterum recipiatur, congregato ingenti hominum numero: Nam non est Jus inde inferendum, quod fortuito casu accidit, & quasi per miraculum, sed quod regulariter contingit, & ex natura ipsius rei fluit. vid. *L. 4. & 5. ff. d. LL.* Hinc quamdiu res in statu dubio est,

non-

nondum amissa censetur: quia recipiendi facultas & spes adest.

CONCLUSIO XX.

Princeps in suo territorio venationes sibi soli recte vindicat.

Natura toti hominum societati jus plenum in hanc terram ejusque res fructus, feras &c. constituit, singulis & cuique individuo seorsim æquale jus occupandi, quod nullius est, *pos. V. n. 1.* Non tamen positâ isthac lege iniquitatem sapit, quod Principes in suis territoriis jura venandi sibi solis, exclusis penitus privatis, vindicent. Enimverò 1) terris divisis occupatisque territoriis summæ in iis potestati competunt, quæ privatis nondum quæsitæ, qua de re & de iis leges facere potest, ut lubet. perillustr. Dn. Coccejus *J. B. & P. p. 66. Q. 1.* Inprimis 2) quia hæc concessio J. N. permissivi est, *pos. I.* inde à Principe, & qui par jus habent, suadente ita necessitate & utilitate, mutari potest. *pos. III. conf. Wefenb. ad ff. d. A. R. D. n. 7.* Dn. Kestner *Disp. de potest. Princip. in subdit. sect. 3. §. 2.* Inde Hunnius, Jctus doctissimus, in *Besol. Jur. Civ. Lib. 2. tr. 1. Q. 14. in medio Justas*, inquit, *causas subditis interdicens venatione ac captura ferarum habuerunt Principes; ne scilicet homines plebeji, sive privati à suis opificiis ac laboribus, inprimis verò ab agricultura obducti, otio indulgerent, & latrociniis operam darent. 2. Ne ferarum species devastaretur & interiret, omnibus promiscuè venandi potestate concessa. 3.*

Quo

Quo armorum licentia reprimeretur, cap. 1. §. *Nemo retia de pace tenenda*. Quod autem olim illa venandi facultas privatis quoque permiffa fuerit, vid. *tit. Inf. d. R. D.* favor status popularis efficiebat. Hodie verò Principes jura fua reducendo J. N. iterum vindicarunt. Et qui jus venandi præterdunt, fpecificè illud probare & domino territorii titulum fuæ poffeffionis edere tenentur; teste perill. Dn. de Rhez. *J. P. L. 2. t. 18. §. 6.*

CONCLUSIO XXI.

Præfcriptio immemorialis eft J. N. & fe ad omnia extendit.

Certum eft: *Jure Naturali folum tempus nullum Juris effectum producere, neque eò rem meam alteri acquiri*. Etenim 1) tempus nullam vim effectricem habet, ut poffit id, quod meum eft, in alium transferre: quippe illud eft mera faltem denominatio extrinfeca, fcilicet quantitas durationis, naturam rei haud immutantis, neutiquam verò actio vel difpofitio, quæ tamen ad translationem Juris naturaliter requiritur, ut inde difponentis voluntas cognofcatur. *poj. VI.* Accedit 2) Naturam duos duntaxat modos, quibus Jus noftrum in alium transfertur, conftituiffe, nimirum (a) propriam difpofitionem *poj. VI.* (b) legem fuperioris, vel ob publicam utilitatem, vel in pœnam lata, *poj. XII. & XIII.* vid. Grotius *d. L. 2. c. 14. §. 7.* Quin imò 3) detentio rei alienæ eft injuria, *poj. VII.* cum Natura nobis in noftras non alterius res jus dederit, *poj. V. n. 2.*

E

quæ

quæ proinde injuria non prius tollitur, donec id, quod ex alterius bonis detinetur, in pristinum statum reducatur, d. *pos. VII.* Ex quo apparet, solum temporis lapsus illam, quæ facta est, injuriam abolere nequaquam posse. Adde Dn. Kestnerum *de Jure Hassiaco in Ducatum Brabantinum* §. 18. Fallit autem prædicta regula 1.) quando tempus adsit, cujus initii memoria ratione possessionis planè expiravit. quod vulgo appellatur immemorabile. Hoc non id saltem dicitur, cujus nulla amplius memoria extat: Nam ex documentis & Archivis de primis possessoribus in genere constare potest, sed & illud, quando initium præsentis possessionis hominum notitiæ est exemptum. Et ejusmodi possessio ex temporis lapsu sustinetur tanquam legitima. Siquidem 1) possessor natura facultate tenendi gaudet, quam proinde licitè servat, donec possessionis monstratur injustitia, quæ non adest, vel saltem non apparet, *pos. I.* Enimverò quod possessor immemoralis sit in possessione, hoc vident omnes, & nemo negat. At quod possessio ejus sit illicita vel injusta, non apparet, quia tempus initium possessionis præsentis extinxit. Accedit 2) quod paribus votis nihil agatur naturaliter, ut dicetur infra. At hic sunt vota paria: alter enim pro suæ possessionis justitia, alter pro ejusdem injustitia disputat, quam litem judex, initio factoque causæ planè sublato determinare nequit. Adest igitur ratio, ut possessor, cujus injustitia ob temporis lapsum determinari non potest, in possessione deinceps maneat, sed nulla, ut possessori auferatur, & alteri, qui nihil injusti in possessore probavit, tradatur. Nam quod possessor sit in possessione de eo non disquiritur, sed quod possessor

essor sit illegitimus, in disceptatione est. Inprimis 3) id infert ipsa necessitas medii, jus in naturalibus constituens, *pos. IV. n. 4.* Sine præscriptione ex temporis, memoriâ destituti possessione profluente, nec Jus à Natura datum, nec dominia, nec ullus inter mortales ordo, nec ipsa hominum societas salva erit. Ecquis enim accuratè ostendet, se rem, quam per immemorabile tempus possessam dicit, justè tenere, eamque inde à temporibus Adami vel Noachi, semper de uno in alterum justè nunquam injustè translata esse? Quocirca solus temporis lapsus hic attenditur, nec, uti aliàs, bonæ fidei, nec tituli probatio exigitur. (II.) *quando constat, eum, cujus res ab altero detinetur, spem recuperandi deposuisse.* Et hic modus propriè non est præscriptio, sed tacita quædam juris remissio & translatio: cum non solum verbis, sed & factis, *pos. IV. n. 1.* quæ non facta continent, vid. *comm. ad pos. VII.* voluntas exponatur. Quæ tamen aliter se habent, si animus recipiendi adhuc duret. Cum autem sub iudice lis sit, quando animus deferendi juris superfit vel cesset, noto, jus esse vel notorium vel dubium. Illius desertio apparet, si is, qui tuto potest, suum non repetit; Hujus, si data occasione facili, eum lis moveri potuerit, mota non fuit. Inde animus juris remittendi non tam præsumitur, quam probatur. vid. Dn. Sam. Coccej. *Disp. de Regim. Usurpat. Reg. Eject. §. 44. &c.* Hæc præscriptio, cum sit J. N. & universalis, ad omnia, etiam Imperiorum possessiones spectat, conf. perill. Dn. Cocceji *J. B. & P. p. 28. Q. 3.*

CONCLUSIO XXII.

*Silentium non infert consensum, nisi eius
nulla alia dari ratio queat.*

Dispositio omnis, solo animi actu non absolvitur, nec valet, nisi actus animi signis quibusdam externis sit indicatus, *pos. VI.* Unde fluit: silentio naturaliter & proprie nullam inesse vim aut juris efficientiam, cum sit mera negatio, neutiquam autem dispositio, consensum supponens. Enimvero qui filet, nihil dicit, & qui nihil dicit, nihil quoque disponit, nec ullus in hoc non facto adest consensus. Equidem is, qui tacet, non dissentit, sed tamen quoque non consentit. Consensus probari, non præsumi debet. Ergo J. N. silentium neque consensum, neque dissensum infert, verum medium est inter utrumque. Interea nonnunquam silentio accedunt quædam, unde consensus vel dissensus colligitur: veluti si nulla silentii ratio dari potest, quam tacentis consensus. Arque sic voluntas facto ipso declaratur æquè ac verbis. Necessum tamen est, ut adsit & scientia & voluntas. Nam voluntas non datur absque cognitione. Neque etiam per naturam potest velle, qui nescit, quod debet velle: Neque voluntas aliter movetur, quam si sit, quod movet. **Hinc 1)** si tu sis præsens, & negotium tuum geratur, verum si id nescias, omne id factum & actum tibi non præjudicat, etiamsi non contradicas, quia jus tuum tibi non auferitur, nisi prævio tuo consensu, hic cessante. **Ex adverso 2)** si te præsentem & scientem negotia tua gerantur, nec tunc contradicas, silentium tuum est pro con-

consensu. Nam Natura & agendi & loquendi, & sua defendendi facultatem frustra haud concessit, *pos. I. & pos. IV. n. 5.* Neque ab ullo homine mentis sanæ præsumitur, eum eo tempore, quo intelligit, jus suum sibi auferri, esse taciturnum. Consule & lege cum cura Dn. Cocceji *Dissert. de Silentio.*

CONCLUSIO XXIII.

Defensio sui nemini est adempta, imò in-juncta.

Quemadmodum omnis potentia & perfectio hominibus est à solo Creatore concessa, *pos. I.* huicque ad eò absoluta facultas, eaque legitima, competit, de hominibus statuendi juxta suum beneplacitum, *pos. III.* exinde sponte sua sequitur 1) Deum hominibus potestatem se contra invasionem alterius defendendi justè quidem auferre potuisse; Grotius *d. I. L. I. c. 3. § 3. n. 1.* Cum primis quia homo suæ saltem vitæ usufructuarius, DEUS verò istius est proprietarius. Veruntamen 2) nullum extat Naturæ indicium, unde illa DEI voluntas cognoscatur. Imo instinctus ille naturalis se defendendi intrinsecus & ipsa Creatoris affectio sensibus omnium exposita, contrarium evincunt *pos. IV. n. 1. & 2.* Hinc 3) homo ad defensionem vitæ suæ simpliciter tenetur. conf. Pufendorf *d. I. N. & G. l. 2. c. 5. §. 1. & c.* Cum à Natura & facultatem & jus non perdendi sed conservandi vitam suam habeat. *pos. V. n. 3.* Adde, quod alias homo *αυτοχους* fieret, quia an quis se propriâ an alterius manu occidat, *moraliter est idem*

CONCLUSIO XXIV.

Defensio supponit periculum præsens & quasi in puncto.

HOMINES I. N. ad defensionem suæ vitæ obligatos esse, tam certum est, ut ea de re nemo sanus dubitet. vid. *comment. ad pos. V. n. 3.* Sed disquiritur, quando tempus defensionis incipiat? Dicimus, Actum defensionis incipere, si inuasor aggredi parans evitari amplius nequeat, etiamsi invasio non statim executioni detur. *pos. IV. n. 4.* Nam 1) invasio denotat totum actum aggressionis, cujus pars est instructio, quam licitè præoccupare possumus, cum satius sit prævenire quam præveniri. Ut proinde is, qui invasionem parat, invasisse rectè dicatur. Nam ut bene dicit Grotius *d. l. 2. c. 1. §. 5. n. 1. in moralibus ut & in naturalibus punctum non invenitur sine aliqua latitudine.* Accedit 2) quod periculum jam adsit & injuria actu inferatur, nec alia ratione vita defendi queat, nisi cum internectione aggressoris, qui invadendo mentis suæ intentionem satis explicuit. Ecquid enim 3) quando inuasor, furore fascinatus & planè subactus, me adoritur, quando furit, fulminat, tonat; quando educit gladium è vagina; quando inquit: Ecce! tu debes mori: aliud credi potest, quam eum ad me trucidandum ensẽ vibrasse? Quocirca 4) primus ictus haud expectandus est; Nam nec DEUS miracula toties quoties desiderat homo peccator, cœlo emittit, nec vulnera dantur ad mensuram, nec ulla Præsum-

præsumtio Christiani amoris in tali nebulone superest, addatur Pufendorf *d. c. 5. §. 6. & seqq.*

CONCLUSIO XXV.

Defensio pudicitiae, jam amissa illicita.

Indubium est, pudicitiam naturaliter necesse etiam in-
 vaforis defendi posse : tum quia alter in corpus al-
 terius nihil juris habet ; *pos. V. n. 2. & 3.* tum quia
 Natura corpus fœmineum fecit ad propagandum ho-
 minem *pos. IV. n. 2.* & sic iste modus creandi animal
 divinum per nuptias, tanquam cohabitationem lici-
 tam & à Deo constitutam ; *pos. V. n. 5.* neutiquam au-
 tem per violentam muliebris uteri corruptionem ne-
 dum effractionem expediri debet : tum quia major
 est pudicitiae quam ipsius vitae ratio. *conf. Grotius d.*
c. 1. §. 7. Pufendorf. d. c. 5. §. 11. utpote cum hujus amif-
 sio unum saltem hominem concernat, illius autem
 corruptio posteros quoque inquinat, eosque infamia
 quadam afficiat : Verum hoc defensionis jus exspi-
 rat, quando stuprum jam tum est commissum. Quan-
 doquidem 1) tum res non amplius integra, nec 2) ne-
 cessitas adeit, copiâ adeundi judicis relicta ; nec 3)
 defensio hoc casu fieri potest, cum virginitas per na-
 turam restitui nequeat ; nec 4) defensio adhibetur ad
 recuperandam pudicitiam, quæ quondam fuit, sed ad
 explendam vindictam, nec ad tuendum corpus sed ad
 ulciscendum crimina, quorum punitio Magistratui
 non privatis competit. *pos. XIII. V. ad Roman. c. 13.*
Reinking, d. 1. L. 2. c. 1. §. 40.

CON-

CONCLUSIO XXVI

Ut vita ita res nostræ etiam cæde raptoris defendi possunt.

Quod vita cum interfectione violenti quoque aggressoris tueri queat, inter Dd. Juris Gentium non adeo disputatur: cum talis defensio tam severè à Natura nobis sit injuncta, ut ne quidem omitti possit. *pos. V. n. 3.* Gravior superest Quæstio: An talis defensio sit permessa, si non quidem vita, sed tamen res nostræ vi auferantur? Et existimo, res nostras licitè defendi, etiam cæde raptoris, quando aliud medium, eas vel recuperandi vel retinendi non adest. Etenim 1) Natura cuique concessit Jus in suas res & actiones non in alterius; *pos. V. n. 2.* Quocirca quisque solus habet facultatem de suis disponendi *pos. VI.* quæ ipsi in vito nequit auferri; *pos. VII.* & si ergo auferatur, tum justè defenditur. Inprimis 2) cum vita ipsa hoc modo per indirectum adimatur, medio adempto, quod unicum & necessarium est ad illius conservationem. Atque necessitas mediæ unice ad obtinendum finem dat licentiam *pos. IV. n. 4.* Hinc Pufendorfius, Vir Eruditissimus *d. I. N. & G. L. 2. c. 5. §. 16. in medio:* *Et, inquit, cum alter non plus juris ad res meas, quam vitam eripiendam habeat, non minus potestatis mihi ad illas, quam hanc defendendam competet. Quin cum citra res vita nostra non possit servari, hanc quoque consequenter impugnat, qui illis me spoliare nititur.* Interea 3) certum, virtuosius

ruosius agere eum, qui vitam alterius suis rebus præfert. add. Grotius *d. c. I. §. II.*

CONCLUSIO XXVII.

Duella J. N. prohibita, nisi vel publicâ auctoritate fiant vel ex defensione necessaria.

Ex defensione, singulis hominibus à Natura injuncta, porro deciditur, Duella J. N. illicita censerî. Siquidem 1) hac ratione partes se in periculum vitæ, de qua solus Deus disponit, *pos. I.* conjiciunt. Adde 2) quod Creator animam corpori junxerit, & sic voluerit ejus defensionem; *pos. IV. n. 2. ibique comm.* quæ ita negligitur. Quin 3) duella non sunt media legitima defendendi famam. Planè 4) privatis præsertim in propria causa non competit justitiæ executio *pos. XIII.* ita ut adhibito duello injuria augeatur potius quam aboleatur *pos. VII.* Hæc tamen regula limitanda est, si 5) duellum fiat publica auctoritate vel ex defensione necessaria. *conf. Grotius d. c. I. §. 15.*

CONCLUSIO XXVIII.

Vota majora de J. N. concludunt.

Juris est æque ac rationis, ne quid valeat in re communi, nisi omnium consensu sancitum, tum quia in re communi singulorum jus vertitur, quod unus alteri eripere nequit; cum ita terminos facultatis suæ

F

excede-

excederet; *pos. V. n. 2.* tum quia dispositio de re alterius est illicita, *pos. VII.* At si quis disponderet de parte rei communis, disponderet de parte, quæ alterius est. Verum quando Collegium publicum de Jure, non singulis sed toti corpori competente statuit, & de quo statuendi potestatem habet, obtinet pars major. Siquidem 1) ubi major pars, ibi cæteris paribus præsumitur major perspicacia. Oculi plus vident quam oculus. Deinde 2) unusquisque pro se lubens majora eligit, ergo & illa contra se admittat necesse est. Quo argumento ipse Servator utitur *Matth. 7. v. 12.* Quin 3) ubi sunt vota majora, ibi pariter sunt minora, quia majus includit minus. Adde 4) quod nullum sit medium, quo dissensus plurium ad concordiam redigi potest. *pos. IV. n. 4.* Aut enim valere debet, quod omnes statuunt, aut quod pauciores, aut quod plures. Verum non potest valere, quod omnes statuunt, quia omnium consensus vix impetratur, vel si impetratur, negotium licitè expeditur, nec tum de valore votorum superest quæstio. Non inquam quod pauciores: quia horum vota sub plurium sententiis comprehenduntur. Ergo Naturæ lex est, ut pars major concludat. add. perill. Cocceii *Disp. d. Eo, quod justum est circa numerum suffragiorum sect. I. §. 1. & seqq.* Et hanc sententiam Grotius *d. l. 2. c. 5. §. 17.* egregiè proponit: dicens, *est autem manifestè iniquum, ut pars major sequatur minorem: quare naturaliter, seclusis pactis & legibus, quæ formam tractandis negotiis imponunt, pars major jus habet integri.*

CON

CONCLUSIO XXIX.

Paribus votis, nihil agitur, sed res manet in statu quo.

Ex eo, quod, uti jam dictum, majora vota concludant, ulterius sequitur: paribus suffragiis J. N. nil agi sed remanere in eo statu, in quo antea fuit. Enimverò in collegio personæ jus habent æquale ratione votorum, quod proinde iis auferri nequit, nisi numero plures sint, qui ita, ut ipsi sentiunt, sentiant in contrarium. Neque enim ad mutationem satis momenti est, & par utrinque pondus æquilibrio velut rem suspendit. Grotius *d. l. §. 18.* Pufendorfius *d. l. 7. c. 2. §. 17.* Ita si duo eligant Sempronium, duo verò Cajum, neuter intelligitur electus, sed uterque manet in eodem statu, in quo fuit ante electionem. Eadem ratione reus à tribus condemnatus, à tribus autem absolutus, libertatem recipit, utpote in qua ante accusationem fuit. Et status absolutionis nihil innovat.

CONCLUSIO XXX.

In suffragiis ferendis præsentium numerus tantum inspicitur.

Essentia Collegii non consistit in numero sive singulis personis sed in corpore, quod præsentis præse ferunt. Quamvis igitur singula collegii membra jure deliberandi fruantur, non tamen præcisè requiritur

ritur, ut omnes actu adsint, sed sufficit, ut adesse possint. Quamobrem illi, qui adsunt, jus habent integri, cæteri verò juri suffragandi renunciaffe & præsentium sententiis subscribere videntur. Et cum in collegio aliquid sit agendum & expediendum, unius negligentia & absentia non potest reliquis cedere præjudicio. Ergo absentium Jus accrescit præsentibus, ex mente Grotii in *d. l. 2. c. 5. §. 20.* Supponitur autem casus, quando negotium præsentibus expedire valent. Alia igitur ratio est, si non corpori sed certis personis ejus executio commissa sit. Illi enim non faciunt collegium, nec habent unam omnes Jurisdictionem in solidum, sed singuli jurisdictionis partem pro indiviso, adeoque major pars non prævalet, sed omnes adesse & consentire debent, potiorque est ratio prohibentis. add. Dn. Cocceii *J. B. & P. p. 47. Q. 4.* Interea si pendente deliberationis tempore absens accedat, ratio hujus suffragii omnino habenda est. Nam jus ipsius ultimo quoque deliberationis momento integrum est, & non pars sed totum tempus deliberandis tractandisque negotiis destinatum.

CONCLUSIO XXXI.

Dignitas ad heredes naturaliter haurit transit.

Cum Jure Naturæ nulla sit dignitas, nisi ex meritis nullaque nobilitas, nisi ex virtute; juxta tritum illud: *Nobilitas sola ac unica virtus est*: exinde fluit, naturaliter nullam dignitatem hereditariam esse.

Nam

Nam 1) dignitas, ut dictum, tantum oritur ex actionibus gloriosis & laudabiliter gestis. Atque hæ personales sunt, nec extra personam merentem esse nec dum ad heredes transire possunt. Accedit 2) dignitatem esse virtutis taxationem. Verum illa in heredibus non raro deficit, cum in virtutes paternas nulla sit successio. Profectò 3) illa duntaxat ad heredes transeunt, quæ sunt in patrimonio, aut virtus ejusque æstimatio ad ea referri nequit. Quod autem 4) dignitas quædam hereditaria facta sit, mero Juri positivo adscribendum. conf. Dn. Cocceii *Disp. d. potest. Statuum cap. 1. passim.*

CONCLUSIO XXXII.

Civis quis duobus in locis esse potest, mutatâ quoque origine.

Nativitas sola Jure Naturali civem non facit sed ultronea domicilii electio. Innuit id primævus naturæ status, in quo unicuique liberum fuit sedem commorandi eligere. Tametsi autem insequentem tempore orbis in varia territoria divisus fuerit, illa tamen domicilium constituendi facultas eo ipso non est sublata, sed tantum cuivis civitati particulari in suos cives potestas acquisita. *pos. XIII.* quousque eam finis necessitas exigit. Unde porro inferitur, licitum cuique esse, id in duobus quoque locis eligere, mutatâ etiam origine. Etenim 1) cuique Natura dedit legitimam facultatem de rebus suis pro lubitu dispensandi *pos. V. n. 2.* Jam verò de domicilio disponens de re sua disponit.

ponit. Accedit 2) quod constitutio domicilii involvat habitationem, cuique concessam : Quin 3) domicilium constituitur per comparisonem ædium, quæ non magis alicui potest auferri, quam jus emendi vel acquirendi unicuique salvum. Sed & 4) Natura hominibus jus dedit in hanc terram, eosque factò ipso in ejus possessionem induxit, adeoque illis liberum manet, de domicilio, ut lubet, disponere, quia alias ab usu terræ essent exclusi contra sanctissimi Creatoris voluntatem, *pos. V. n. 1.* Hinc ex eadem ratione civis domicilium, semel statutum, mutare potest; *pos. VI.* non ipse invitus expelli, aut retineri, nisi ex causa, quâ Principi competit facultas, jus quæsitum civibus adimendi, vid. Grot. *d. l. 2. c. 5. §. 24. n. 2.* & Schüzius *Colleg. Jur. publ. Vol. 1. Disp. 3. tb. 15. lit. F.* & G. Libenthal, *Colleg. pol. Exerc. 5. Q. 6.*

CONCLUSIO XXXIII.

Educatio incipit in utero, absolvitur naturaliter extra eum, & pubertate finitur.

Natura intendit humani generis propagationem, quâ id agitur, ut species, procreanti similis, procreetur & perficiatur. Ejus cura parentibus solis naturâ est injuncta, & appellatur educatio, utrique parenti communis. Incipit illa à primo actu ac tempore cohabitationis, quantumvis partus adhuc in utero delitescat. Quapropter 1) Natura fœminas lactandi potentiâ instruxit, non alio de fine, quam ut hoc modo par-

do partui etiam in utero prospiciatur, usquedum in lucem edatur. *pos. IV. n. 2. & 3.* Et si enim 2) conjuges in commixtione corporum semen, procreationi humanæ destinatum, ejaculati sint: non tamen sola ejus ejectio sufficit, nisi postea tum in utero tum extra illum parentes curam infantis gerant exactissimam. Et cum 3) impossibile sit ut partus statim generatione maturescat, educatio in utero cœpta absolvitur extra illum, quo infans organorum perfectionem adipiscatur. Ex quo 4) apparet, naturaliter maturitatem finire generandi potentiâ. Voluit enim sapientissimus mundi hominumque Effector, ut species procreata tamdiu curetur, donec aliam iterum producere queat. vide sis perill. Dn. de Prinzen. *Disp. d. tutel. Illustr. sub presidio Dn. Cocceji habitam sect. I. §. 3.* Id cum Natura certo tempore non definiverit, Jurisprudencia Romanorum terminum posuit. vid. *tit. Just. Quibus modis tutela finitur.*

CONCLUSIO XXXIV.

Polygamia virilis non est contra J. N. at omnino fœminea.

Permissum est masculo Jure Naturali plures unâ uxores ducere: tum quia is potentia coeundi cum pluribus, est à Natura instructus, quam proinde licite exercet. *pos. I.* utpote cum potentia involvat actum nec frustra sit concessa; *pos. IV. n. 5.* tum quia non adest impedimentum, procreationem humani generis tollens, vel saltem id non apparet. Jam verò
non

non esse & non apparere, in naturalibus non nisi conceptu differunt. confer. Grotius *d. c. 5. §. 9. n. 1.* Dn. Buddæus *Elem. Phil. Pract. p. 2. c. 4. Sect. 10. §. 8.* Verum tamen foeminam cum pluribus viris commisceri modo simili haud licet. Etenim 1) multa Jura à Natura sunt statuta, quæ certum patrem requirunt, ut educatio &c. Unde apparet, Creatoris voluntatem esse, foeminam tantum uni viro cohabitare debere, cum alias Jus à Natura statum ceu finis obtineri nequeat. *pos. IV. n. 3. & 4.* Accedit 2) quod hac ratione propagatio humani generis, quam intendit Creator, turbetur. Licet enim maris semen, cui vis inest æternandæ imaginis divinæ, effectum sortiatur, quantumvis id in duo corpora distincta transfundatur; attamen illa omnino secus sunt, si mulier duorum semina excipiat. Porro 3) si mulier pluribus submitteret corpus horrenda inde crimina oriri possent, uti incestus, si quis inscius filiam duceret. Constat proinde hanc promiscuam commixtionem qua & illibata familiæ jura turbantur, & sanctimonia, à liberis parentibus exhibenda, violatur. Intentioni divinæ, voluntatem Creatoris monstranti, *pos. IV. n. 3.* contrariam esse adde Pufendorf. *d. J. N. & G. L. 6. c. 1. §. 15. &c.*

CONCLUSIO XXXV.

Sodomia J. N. planè adversatur.

Modus propagandæ divinæ imaginis matrimonium vocatur, quod est res sanctissima eoque inviolabilis & sic sine summo scelere profanari inque alium finem

finem adhiberi nequit. Exinde clarissimè constat, contra Naturam esse cohabitationem naturalem tam cum eodem, quam diverso sexu, uti cum brutis, qualis commixtio appellatur Sodomia. Siquidem 1) isthæc conjunctio actioni Naturæ penitus adversatur, utpote quæ duplicem sexum eum in finem constituit ut prævia utriusque commixtione humana species æternetur, cui Creatoris voluntati, factò declaratæ, repugnat conjunctio ejusdem sexus. *pos. IV. n. 2. & 3.* Adde 2) quod procreatio hominum non possit fieri, nisi ex duplici sexu ejusdem generis. Verum hic finis in tali commixtione itidem cessat, consequenter voluntas Naturæ permittens. Cessante autem permissione Dei adest ex natura oppositorum prohibitio, & concessæ potentiæ restrictio; lege *comment. meum ad pos. I.* Planè 3) ista conjunctio cum naturali instinctu maximè pugnat, nec sine summo horrore ab hominibus cæteroquin Sanis concipitur. Postquam igitur in hominibus delitescit motus, qui eos à tali commixtione deterret, exinde clarissimum fit, illum congressum à Natura prohiberi; *pos. IV. n. 1. & ibi comment.* Inprimis verò 4) naturaliter execrabilis est conjunctio illa, quæ cum brutis expeditur. Neque enim quicquam magis voluntati Divinæ perfectissimæ contrariatur, quam si semen nobilissimum, ad condendum animal divinum à Natura factum & novæ menti hospitium præbiturum, cum profano brutorum sanguine commisceatur, præsertim cum nec ita finis Naturæ, jus commonstrans, *pos. IV. n. 3.* impetretur. Hinc etiam Sacratissimus Imperator hoc crimen *in l. 31. C. ad Leg. Jul. d. Adult.* adeo nefandum

G

dum

dum appellat, ut sciri non proficiat. Conf. *Const. Crim.*
art. 116. Lev. 18. v. 20. Exod. 22. v. 19. Dn. Kestner.
J. N. cap. 4. §. 3. Pufendorf. d. l. §. 4. Kulpifius d. l.
p. 55. th. 5.

CONCLUSIO XXXVI.

*Maritus alere uxorem non tenetur, ni-
 si inopem.*

Quamvis æterna Naturæ lex sit, liberos à parenti-
 bus esse alendos, ut supra dictum, non tamen æ-
 què maritus uxorem alere naturali Jure obligatur.
 Quandoquidem 1) matrimonium est modus propa-
 gandi animal pereximium Deoque carissimum, non
 autem acquirendi ex bonis mariti, *pos. V. n. 5.* inpri-
 mis 1) quia Natura cuique jus dedit in sua non in id,
 quod est alterius. *pos. V. n. 2.* Ergo nec uxori ullum
 Jus competit in bona sui mariti quoad alimenta. *pos.*
VI. Sed & 3) pacto conjugali sola cohabitatio non ve-
 rò alimentorum præbitio continetur. Exceptio ta-
 men est, si 4) maritus ducat uxorem, quæ se ex pro-
 priis exhibere nequit, quo casu illam alere obstringi-
 tur. Cum enim uxor sobolis proereandæ causa du-
 catur, hic finis autem sine alimentatione uxoris non
 impetretur, necessitas mediæ maritum ad alendum
 uxorem obligat. Dato in moralibus sine, data simul
 sunt & injuncta media, quæ ad illum perducunt.
pos. IV. n. 4. Hinc Jura dotium originem debent insti-
 tuto humano. vid. Dn. Kestner. *J. N. c. 4.*

CON-

CONCLUSIO XXXVII

Divortia Juri Naturali non adversantur.

In statu naturæ integro divortia nulla fuissent, sed in statu corrupto non apparet ulla Creatoris prohibitio. Hinc nuptiæ mutuo consensu solvi possunt, licet à parte ejus, qui divortio dat causam, sit injustitia. Nam 1) matrimonium nihil aliud est, quam consensus maris & foeminae in cohabitationem, quin id cum propagationis tum mutui subsidii causa constitutum. Eo igitur consensu cessante, ipsum quoque matrimonium cesset, necesse est. Dn. Buddæus *d. sect. 10. c. 4. §. 8.* Præsertim 2) quia unusquisque de jure suo disponit, ut lubet, & uti disponit, ita Jus est. *pos. VI.* Ulterius 3) nihil est tam naturale, quam eodem genere aliquid dissolvi, quo est colligatum, quæ ipsius Naturæ regula vocatur *in l. 35. ff. d. R. J.* Jam vero matrimonium solo maris & foeminae consensu perficitur. Ergo utriusque dissensu justissimè dissolvitur. Inde Pufendorf. *d. l. L. 5. c. 11. §. 8.* rectè dicit: *Nam id maximè naturale videtur, ut quod solum sufficit ad obligationem contrahendam, ejus contrarium sufficiat ad eandem dissolvendam, ubi aliud quid non intervenerit, quod obligationem semel contractam arumpi vetet.* Sed de J. N. nullum divortium permitti debet, nisi ob adulterium & malitiosam desertionem consule Pufendorffium *d. l. 6. c. 1. §. 20. & seqq.* Hinc Dd. qui hanc opinionem negant, Jus Naturæ non intelligunt

telligunt sed quæ argumenta producunt, ex Jure positivo exsculpunt, de quo in J. N. non disputamus.

CONCLUSIO XXXVIII.

Consensus parentum ad nuptias liberorum J. N. non requiritur.

Liberi parentibus suis in omnibus rebus debent reverentiam, præcipuè autem in negotio, ad gentem totam pertinente, quale sunt nuptiæ. Sed hinc non sequitur, consensum parentum in nuptiis liberorum Jure Naturali ita necessarium esse, ut, eo neglecto, totus actus sit nullus, ut rectè judicat summus Grotius *d. c. 5. §. 10.* & Pufendorfius *d. l. 6. c. 2. §. 14.* Quippe 1) facultas propagandi à Natura cuique animali est data, quam absque Creatoris permissione nemo impedire potest. vid. *comm. ad pos. III.* Inprimis 2) quia vi naturalis potentiae, cuique concessæ licitè agunt homines, quicquid volunt & natura possunt, donec probetur actionis restrictio. *pos. I.* At verò hæc non adest nec apparet, Quapropter nuptiæ sunt licitæ, etsi consensus parentum cesset. Accedit 3) quod liberi naturaliter matrimonium inire nequeant, nisi sint puberes & generandi pariendique facultate instructi: quo tempore patria potestas expirat, utpote quæ solam educationem non nuptias includit. Ergo omissio consensus parentum, secundum Jus Naturale nuptias non facit irritas. Ita docuit perill. Dn. Coccejus in prælect. J. N. & G.

CON-

CONCLUSIO XXXIX.

Partus naturaliter matrem, non patrem sequitur.

Servitus J. N. incognita, ergò partus eo jure liber est. Natura enim homines ad unum omnes cum facultate agendi condidit. *pos. l. quæ cuique seorsim data, personam non egreditur; lege si placet comment. ad pos. 5. n. 2.* Partus nascendo propriam affert libertatem, ab ea, quâ gaudet pater, prorsus distinctam. Tametsi igitur libertas parentis sublata: non tamen filii libertas eo ipso tollitur. Quin imò filius patri in libertate non succedit, & sic nec in servitute. Atqui successio in actiones, cuique seorsim concessas, naturaliter non datur. Ex quo colligitur, quæstionem: An partus, in servitute natus, de J. N. patrem an matrem sequatur? inutilem nedum frustraneam esse. Positâ autem lege positivâ, quæ servitutem introduxit, certum est, naturali ratione partum non patrem sed matrem sequi. Et ita regula in *l. 7. e. d. R. V. quod partus sequatur, ventrem; ratione haud destituitur.* Uti quidem existimat Grotius *d. l. 2. c. 5. §. 29. & c. 8. §. 18.* Enimverò 1) mater tota potestati Domini subiecta. Ergo & partus, matris pars. Nam infantem viscerum maternorum partem & portionem esse vix ambigitur, videatur Auctor. *Tractatus de Incestu Juris Gentium cap. 1. §. 6.* Neque verò movere potest scrupulum, quod tamen maris semen hic concurrat, & adeo partus non solum ex matris sed & ex patris corpore sit compositus: Etenim semen mariti

utero foemineo communicatum pars patris esse desit, & pars matris factum est infusione. Accedit 2) in partus acquisitione non inspicitur tempus conceptionis sed editionis & perceptionis; Dn. Cocceji Disp. *de Jure Seminis Sect. 1. §. 4. &c.* Non enim potest acquiri partus, nisi existat. At quando existit, pars matris existit. Neque tum partus est pars feminis, quod non amplius existat, sed uteri muliebris, ad dominum pertinentis. adde Hobbium *de civitate* c. 9. A. 5. & Puffendorfium *d. l. L. 4. c. 8. §. 4.*

CONCLUSIO XL.

Liberi illegitimi naturaliter non succedunt.

In statu naturali primævo nulla fuit nec esse potuit successio, ne quidem liberorum; *pos. IX.* Verum occupatis terris in locum occupationis surrogari debuit successio liberorum in bona utriusque parentis *pos. X.* Illud tamen jus natura debetur solis descendentibus, legitimis, illegitimorum autem nec ratio habetur nec successio datur, D. Kestner. *J. N. c. 13. §. 10.* Etenim 1) illegitimi jure liberorum carent, consequenter & succedendi jure. Et illegitimi non magis sunt jure liberi, quam nuptiæ illegitimæ sunt justæ nuptiæ. Accedit 2) omne jus inter parentes & liberos oriri non nisi ex societate domestica *pos. V. n. 5.* quæ per nuptias justas tantum constituitur, conf. Auctor *Tractatus de Incestu Juris Gentium c. 1. §. 8.* Hinc 3) Natura foeminam sub lege matrimonii uni viro

viro ideo cohabitare voluit, ut pater de liberis, hi autem de juribus sibi competentibus certi sint. Adde 4) quod successio sequatur naturaliter rationem & naturam propagationis, quæ extra juxta nuptias est illicita, nec adeo ullos fortiri effectus potest. Quia imò 5) contradictorium est, naturaliter jus oriri ex coitu, quem ipsa Natura damnat. Et licet 6) omnis partus ex instinctu naturali à parentibus sit alendus id tamen nihil impedit. Neque enim Jus educandi & succedendi conveniunt neque illud ex jure liberis competente sed ex motu illo omnibus animantibus communi fluit.

CONCLUSIO XLI.

Translatio libertatis naturaliter valet nec injusta est.

Servitus non est, quando quis perpetuas operas debet pro alimentis & aliis, quæ vite necessitas exigit, uti existimat Grotius d. l. L. 2. c. 5. §. 27. n. 2. Nam ad perpetuas operas homo etiam liber sese obligare potest qui tamen idcirco non fit servus. Hinc Servitus est privatio omnis libertatis. Patet hoc ex natura oppositorum. Enimvero servitus opponitur libertati, Cum ergo libertas est facultas naturalis agendi, quod lubet, servitus ei opposita hac facultate caret. Potest autem quis se facto proprio in servitutem dare, omneque jus, quod in res & actiones suas habet, in alterum transferre. Nam uti quisque de Jure suo disponit licitè, *pos. VI.* ita quoque de libertate. Et cuique
Natura

Natura dedit legitimam facultatem non tantum in res sed & in actiones earumque commoda, *pos. V. n. 2.* Non tamen hocce pactum ad jus vitæ & necis extendi potest, quia id non est in disponentis facultate, *pos. V. n. 3.* At verò dispositio omnis supponit facultatem lege indultam, *pos. VI.* Quemadmodum igitur libertas continet jura permissiva, ex potentia naturali, cuique à Natura concessa, suborta: *pos. II.* ita servitns ea omnia & sola tollit, *d. pos. VI.*

CONCLUSIO XLII.

Usuræ J. N. non adversantur.

Æstimatio usus rei alienæ definitionem usurarum absolvit. Is cum sit solius Domini, ab eo Jure Naturali in infinitum taxari potest. Unde clarissimum fit, usuras nihil continere iniquitatis, ita ut Jure Naturæ eas contrariari ullo modo dici queat, vid. *Kulpisii Colleg. Grot. pag. m. 82. th. 5.* Equidem nonnulli & Theologorum & Juristarum in diversam probabuntur sententiam & usuris injustitiæ maculam aspergere audent. Verum illi à veritatis Janua planè aberrant, & ab aliis, solidius rem concipientibus, opere satis sunt confutati. Putamus igitur, usuras Juri Naturali neutiquam adversari. Enimverò 1) nulla prohibitio ratione usurarum natura ostendi vel ex rationis lumine demonstrari potest, qua de re omni procul dubio illæ sunt licitæ, *pos. I.* Hinc qui eas dicit illicitas, probationis manus suscipere tenetur. Præsertim 2) quia Natura sive Deus cuique in sua Jus dedit, *pos. V. n. 2.* de quibus proinde is disponit licitè,

licitè, *pos. VI.* Sed & 3) usus ex re proveniens soli domino competit, quia ei tota res & ex ea commoda competunt. At verò qui utitur alterius pecunia, ultra suum habet, usumque rei ac pecuniæ domino intervertit. Ergo cum restitutio aliter fieri nequeat, quam per æstimationem sive per tantundem, id præstandum est, quod potest. *pos. VII.* Inde Pufendorfius *de F. N. & Gent. L. 5. c. 7. 10.* præclare ait: *Quin potius impudens foret, cum tu ex pecunia mea rem tuam egregiè augeas, me in partem lucri non velle admittere. Nam ipse interea excludor ab illo lucro quod pecunia mihi mea parare poterat, si eandem in proprios usus convertissem.* Planè 4) usuræ in mutuo nihil sunt aliud, quam merces in locatione. Uti verò hæc est permessa: ita quoque illæ; quia ut merces est æstimatio usus in locatione, ita usura taxatio in pecunia, mutuo data. *Lege Grotium de F. B. & P. l. 2. c. 12. §. 20. Luc. c. 19. v. 23. & Matth. c. 25. v. 27.* Neque etiam hanc destruit sententiam *Deut. c. 23. v. 19.* ubi fœnus interdicitur. Nam respondetur. Illa prohibitio est meri Juris positivi, & ad solos judæos restricta, ne inter se & à fratribus exigant fœnus, quod vel inde constat, quia in peregrinis id permissum, *d. l. v. 20.* Sed nec obstat *Luc. c. 6. v. 34.* Nam repono: ibi Christus beneficentiam adeoque virtutem inculcat non jus. Deinde illud præceptum ad commercia non magis potest extendi, quam commendatio parsimoniæ ad facultatem alienandi, in societate humana prorsus necessariam, *Lege perill. Dn. Cocceji Disp. de Anatocismo Sect. 1.*

H

CON-

CONCLUSIO XLIII.

Juramentum generale omnes complectitur species.

Vulgatissimum artis ratiocinandi axioma est : *sub genere contineri Speciem.* Exinde patet , eum , qui juramentum verbis generalibus præstat , omnes omnino Species sub eo comprehendere. Quandoquidem 1) ideo juravit generaliter , ne inde quicquam sit exceptum quapropter Reinking. *d. tr. L. 1. cl. 4. c. 5. §. 25.* rectè ait : *generalitatem in una etiam specie verificari posse.* Imò 2) in homine supponitur & supponi debet mentis sanæ voluntas ejusque natura , cui haud convenit , jurare generaliter & deinde Species , sub genere comprehensas , excludere. Neque enim 3) sapiens quicquam facit frustra , neque sanus admittit contraria & absurda Grotius *d. l. 2. c. 16. §. 22.* Plane is , qui aliquid agit , vult id , quod agit , ita agi debere , quin vult omne , quod ex natura ipsius ætus profluit *comm. ad pos. IV. n. 2.* Hæc tamen regula limitatur 4) quando apparet (a) non cogitasse jurantem de aliqua specie ; vel (b) licet cogitaverit , non fuisse juraturum. Cui egregie congruit Jus Romanum in *l. 9. §. 3. ff. d. transact. & l. 12. eod. perill. Dn. Cocceji Diss. de Clausula Rebus sic stantibus cap. 2. §. 17.*

CON-

CONCLUSIO XLIV.

Juramentum naturaliter non probat.

Probatio est actus, quo certissima fides fit, illudque, quod tum cum allegatur, dubium atque incertum redditur. Unde apparet, eum, qui juravit, naturaliter non probare. Siquidem 1) ad probationem naturalem requiritur, ut res incerta & dubia, fiat certa & clara. Verum talis certitudo ex juramento præstito haud elicitur. Præsertim 2) quia assertio in propria causa ob studium avaritiæ & simiiium valde nec sine ratione est suspecta. Præterea 3) altera pars quoque jurare posset. Neque enim id naturâ est impossibile. Atque sic duo juramenta sibi invicem contraria forent. Quocirca si juramentum naturali jure esset probatio, ex parte utraq; erit probatio, quod pugnam rationis in eodem puncto involvit. Tandem 4) nemo suo facto alteri jus auferre valet, *pos. V. n. 2.* & sic nec juramento. Secus tamen est, si 5) partes in id consentiant, alterque alteri juramentum deferat. Nam disponentium voluntas, utrinque declarata & acceptata, jus facit. *pos. VI. quia ut dicit Grotius d. l. 2. c. 4. §. 3. non patitur natura humane societatis, ut actibus animi sufficienter indicatis nulla sit efficacia.*

CONCLUSIO XLV.

Promissio sine causa ne quidem naturaliter obligat.

Æqualitas, quam Natura inter homines constituit, & libertas efficiunt, ne homo sit obligatus homi-

ni ; *pos. I.* nisi quis ipse velit. *pos. VI.* Hinc si quis obstrictus alteri esse nolit , nec jus suum in alium transferat , Jure Naturali nullo obligationis vinculo constringitur. Ex quo est manifestum , erroneum esse , promissionem , sine causa factam , J. N. obligare ; ut putat Grotius *d. l. 2. c. 14. §. 4.* Enimverò ibi demum incipit obligatio , ubi desinit libertas. At sine animo obligandi & voluntate non procedit obligatio ergo necessario libertas durat. Quin iste animus est in causa tanquam in fonte indeque descendit tanquam ex principio. Contradictorium est, abesse obligandi voluntatem & tamen adesse obligationem: Nolle obligari & tamen revera obligatum esse. Neq; enim, ut tibi sim obstrictus , in tuo est arbitrio , neque ut mihi, quod volo , præstes, efficere egomet possum. Hanc Naturæ evidentissimam legem sequitur Jurisprudentia Romana in *l. 22. §. f. ff. d. probat.*

CONCLUSIO XLVI.

Jus desinit vel nostrâ vel superioris dispositione , sublatoque eo toto , sine quo id nequit subsistere.

Prouit quisque de re sua disponit , ita omnino jus est. *pos. VI.* Ergo nullum restat dubium , quin jus nostrum tollatur præviâ nostrâ dispositione. Sed idem esse desinit dispositione Magistratus. Huic tamen non competit facultas , jus privatis auferendi , nisi ex du-

plici

plici causa, nimirum in pœnam, si delinquant, & terminos juris concessi excedunt, vel ob publicam utilitatem, si id è re publicæ rei esse judicet. per ill. Coccejus *J. B. & P. p. 73. Q. 2.* Schüz. *Colleg. Jur. publ. V. 1. D. 3. tb. 15. Lit. H. J. K.* Cum primis autem jus nostrum definit sublato illo, sine quo jus ipsum nec esse nec exerceri potest. Hoc fit quando subjectum reale aut personale reique forma deficit. Ita omnes qualitates pereunt, sublato subjecto: Ususfructus, usu certæ speciei: dominium, rei substantiâ: possessio, facultate naturali rem tenendi: pignus, possessione: Servitus, toto prædio: relatio, duobus correlatis vel alterutro: Requiritur autem illud totum esse sublatum. Nam remotâ una re, altera, etsi connexa, non tollitur. Ita collegium, populus &c. durant, quamdiu vel unus ex illis superest. add. Grotius *d. J. B. & P. l. 2. c. 9.*

CONCLUSIO XLVII.

Res alterius alteri est restituenda, sed salvis impensis.

Ex voluntate Sanctissimi Creatoris obligatio oritur ad restituendum rem, quæ alterius est. Quocirca is, qui eam tenet, curare debet, ut in potestatem Domini perveniat, quia ex re nemo præter dominum jus habet. Enimvero 1) homines omnem agendi facultatem à Creatore habent, nihil à se ipsis. *pos. I.* At Creator cuique id, quod dedit, in suas res & actiones dedit. *pos. V. n. 2.* Uti igitur in suis est agendi &

H 3

statuendi

statuendi libertas : ita in alienis abstinendi necessitas. Ibi definit libertas, ubi incipit obligatio. Et cum 2) necessario teneamur restituere id, quod est alterius, quia homo excedens terminos facultatis suæ injuriam committit. *pos. VII.* non debet non alteri res sua restitui, cum injuria non nisi reparatione tollatur, & quousque ea non est facta, duret. *d. pos. VII.* Atque ita 3) non prius voluntati Creatoris, quæ est unica norma omnis juris, satisfacimus, nisi reparando id, quod commissum injustè. Hinc 4) rem alterius detinens, domino indicare tenetur, quia indicatio est unicum medium restitutionis. Nam qui aliquem obligat ad finem, censetur eidem quoque media injungere, sine quibus iste obtineri nequit. Imo dominus resua in perpetuum careret, si is, qui eam detinet, id non indicaret. *pos. IV. n. 4.* Verum illa restitutio non intelligitur, nisi deductis impensis. Nam quemadmodum ego ad rem alteri reddendam sum obstrictus, ideo, quod nihil juris in illa sed plus meo habeo, ita alter impensas sumtusque restitutionis refundere tenetur, quia alias plus suo reciperet, itidem prohibitum. *pos. VII.* Inde Grotius *d. l. 2. c. 10. §. 1. n. 2.* bene ait: *tenetur is, qui rem nostram habet in sua potestate, efficere, quantum in se est, ut in nostram potestatem veniat. Quantum in se est dico; neque enim obligatur ad reddendam rem suis impensis: sed indicare tenetur, ut alter recipere suum possit.* *conf. Pufendorf. d. l. L. 4. C. 13. §. 2.*

CON-

CONCLUSIO XLVIII.

Punitio soli competit Magistratui.

JUS statuendi pœnam propter delictum eamque exequendi naturaliter solus habet Magistratus non privatus. Inde statim patet error Grotii, qui *d. l. 2. c. 20. §. 3. & 7.* unictique hanc potestatem tribuit, *modo iudicio valeat.* Nam (1) pœna est executio juris & iustitiæ, quam solus habet Magistratus *pos. XIII.* præsertim (2) quia privatus caret Imperio ac iurisdictione, cujus demum effectus est punitio. vid. Pufend. *d. l. L. 8. c. 3. §. 3.* & Dn. Titius *ad Pufend. d. Offic. Hom. & civ. obs. 641.* Imo (3) privatus in privatum naturaliter nullum jus habet. *pos. I.* nec adeo facultatem puniendi, quæ juris privationem producit. *pos. XII.* præterea (4) hac ratione quis esset vel esse posset iudex in propria causa, quod naturaliter impossibile; vid. Dn. Cocceji *Disp. d. Iudice in propria causa.* Quinimò (5) admittenda Grotii sententiâ, puniendus potius punituro resisteret, & sibi meti ipsi injuriam factam esse diceret, atque ita quadrata miscerentur rotundis.

CONCLUSIO XLIX.

Pœna naturaliter tantum statuitur propter culpam commissam non ob virtutis omissionem, nec in cogitationes.

INJURIA nondum facta nequit reparari. At pœna est injuriæ reparatio. Ergo non concipitur nec datur, nisi culpa antecedit & sit commissâ, *pos. VII. & XII.*

Hinc

Hinc propter solam imperfectionem moralem sive virtutis omissionem nulla pœna invenit locum. Quandoquidem (1) vitiosus nemini facit injuriam; Nam si ego sum avarus, tibi que aurum fulminans ex generositate dare nolo, contra jus nondum pecco, nullamque tibi eo ipso injuriam infero, & si tu vicissim mihi ex liberalitate non vis dare centum, nihil injusti à te est commissum. Unde hic reparatio per pœnam esse nequit, quia hæc supponit legis transgressionem. Accedit (2) quod ex omissione virtutis nulla nascatur ad reparandum obligatio, sed tantum præmii, virtutibus propositi, carentia, ut explicabitur infra. Inprimis (3) quia virtus est animi habitus & perfectio, quæ coactionem non admittit, utpote contra virtutis substantiam. Quin (4) alter virtuosior altero, & sic obligatio ex virtute, hominum determinationi haud obnoxia. Denique (5) hoc modo per pœnam injuria non aboleretur sed inferretur. Veluti si homo avarus in vincula conjiceretur, addita lege, ut liberalitatem exerceret, sitque generosus, si dimitti velit. Nam natura ipsi in sua jus dedit, *pos. VI.* Similiter pœna in cogitationes statui nequit: tum quia cogitationes legis actibus non subjacent, tum quia is, qui cogitat, nondum facit alteri injuriam, tum quia eæ excedunt modum scientiæ humanæ. Ad impossibile autem obligatio est nulla. Nec Natura potuit nos obligare, nisi concessa facultate agendi id, quod in obligatione continetur: Nec injungere finem, medio adempto, *pos. IV. n. 4. confer. Grotius d. c. 20. §. 18. & 20. Pufendorfius d. c. 3. §. 14. & c.*

CON-

CONCLUSIO L.

Fœdus initum cum infidelibus J. N. subsistit.

DE fœderibus frequens est quæstio, licitene in eantur cum his, qui à vera religione sunt alieni? quæ res in Jure Naturali dubitationem non habet, ut bene docet Grotius *d. l. 2. c. 15. §. 8.* Quippe (1) dispositio de re sua J. N. subsistit. Atqui in fœdere cum infideli contracto talis dispositio adest. Ergo necessariò dispositio fœderis & de fœdere valet. *pos. VI.* Adde (2) quod fœdera æquè sint Juris Gentium ac commercia. At hæc valent cum infidelibus, hinc & illa. Porro (3) idololatria nihil commune habet cum fœdere, sed utrobique speciales sunt effectus. Per illam Deo inferitur injuria, ex hoc obligatio nascitur ad implendum. Profectò (4) fœdera fiunt de Jure quodam seculari, ad Religionem haud spectante. Hac sententia non admittà, sequeretur (5) quod fœdus nec cum adultero aliisque vitiosis iniri possit. Denique (6) fœdus est pactum. Sicuti autem diversitas religionis non tollit obligationem ex pacto resultantem, ita nec tollet illam quoad fœdera in nostro casu addi possunt Dn. Buddei *Elem. Phil. pract. p. 2. c. 4. §. 5. §. II.* Reinking. *d. tract. L. 2. Cl. 3. c. 3. §. 45. & seqq.* Schütz *d. l. v. 2. D. 12. th. II. Lit. G. & H.* Dn. Kestneri *Disp. de Contr. Summ. potest. sub præsidio Celebrissimi Bodini habita cap. 2. §. 13.*

I

CON-

CONCLUSIO LI.

Fœdus antiquius recentiori præfertur.

SOlet sæpius disquiri, si plures bellum gerant, utri potius opem ferre debeat, qui utrique est fœderatus? Grotius, Vir Summus, *in d. c. 15. §. 13.* distinguit inter causam bellandi justam vel injustam, eumque præfert, qui justam belli causam habet. Verum valde metuo, ne qui ita cum magno cæteroquin Grotio philosophantur, non obtineant, quod intendunt animo. Præferunt quia confœderatus caret judicio super justitia causæ, inter alios gerendæ, utpote cum principes superiores non agnoscant. Dicendum igitur, antiquiorem fœderatum simpliciter esse præferendum; v. Dn. Kestneri *J. N. c. 8. §. 4.* tum quia is primus habet jus quæsitum, quod ipsi per posterius novum fœdus adimi non potest: tum quia obligatio fœderis supponit obligandi facultatem, per prius fœdus jam sublatam. Quapropter Hobbius, Malmesburiensis Philosophus, *in Elem. Philos. de Givæ cap. 2. §. 17.* bene inquit: *Qui uni facturum se vel omissurum aliquid pactus ante fuerit, & postea alteri pacificetur contrarium, facit, ut pactum non prius sed posterius illicitum sit. Nam qui prioribus pactis jus suum in alterum transtulerat, faciendi vel non faciendi jus non amplius habet. Quare posterioribus pactis jus nullum transfert; & quod promissum est, sine jure promissum est. Tenetur itaque prioribus tantum pactis; quæ violare est illicitum.* Exceptio tamen est, si (1) id fœdere tantum sit promissum, quod utrique præstari potest, veluti pecunia in casum belli promissa, cujus præstatio

statio inito fœderi haud contrariatur, non verò milites, ut putat Grotius *d. §. 13, n. 3.* quia tum unum contra alterum defenderet. At contradictio est, duos contra se invicem defendere. Et (2) si notoria sit antiquioris injustitia. Enim vero obligatio ad delicta omnijure est invalida, cum primis cum hac ratione aliquis injuriæ fieret particeps. Neque obstare videtur ratio, supra ad enervandam Grotii sententiam adducta: quod scilicet nemo sit judex in causa confœderati. Etenim hoc verum est, quando causa est dubia, non si notoria. In notoriis non opus est judicio, in dubiis id exigitur, Dn. Kestn. *cit. Diff. d. Contr. Summ. pot. cap. 2. §. 14.*

CONCLUSIO LII.

Fœdere violato, ipsum fœdus non tollitur.

SI pars una violaverit fœdus altera à fœdere discedere poterit, ut quidem tradit Grotius *d. c. 15. §. 15.* & complures alii, ex ratione, quod capita fœderis singula vim conditionis habeant: Sed hæc Grotii aliorumque sentia purissimis J.N. principiis planè reclamatur. Dn. Kestner *d. l. §. 5.* Siquidem (1) fœdus initum est dispositione duorum præcedente. Ergo unius factio obligatio tolli nequit. *vid. comment. ad pos. VI.* Accedit (2) quod fœdus connexam habeat obligationem, ut alter contra alterum possit agere ad implendum, quia alias obligationum vis factio unius semper corrueret. Ergo (3) perfidia unius fœderati nolente altero fœdus ejusque obligationem non rumpit, teste Celeb. Dn. Ti-

tio ad Pufend. *d. O. H. & C. observ. 410. in fine.* Et autem sententiam incomparabilis cæteroquin Grotii falsam esse, vel inde probatur, quia fœdera purè non sub conditione regulariter contrahuntur. Enimvero si fœdus isthac conditione initum appareat, opinio Grotii vera est, sed res tum quæstione dubioque caret: quia jusest, ut partes disponunt, *pos. VI.* Id tamen hoc casu requiritur, ut totum fœdus violetur. Nam violatâ fœderis parte, reliquæ manent salvæ, quia quot capita numerantur, tot fœdera censentur iaita, & à parte ad totum argumentum est hiulcum. At si fœderis partes tam arctam habeant connexionem, ut altera sine altera subsistere nequeat, sed omnes simul sumptæ fœderis, tanquam individuum repræsentent, tum integrum fœdus corrui. Adde Dn. Kestneri *alleg. Disp. d. l. §. 15.*

CONCLUSIO LIII.

Fœdus cum Rege initum, obligat quoque successorem.

TAmetsi, ut dicitur infra, Regna propriè successionem non admittant; & Rex præterea successori, æque summam potestatem habenti, leges præscribere nequeat, non tamen impedit, quo minus dicamus, obligationem fœderis & ex fœdere ad successores transcribi. Quandoquidem (1) fœdus iniit princeps non ut privatus sed ut Regni Administrator, non inquam ex jure suæ personæ sed ex concessa in rempublicam potestate, quod factum tam principi jus tribuit, contra-

alte-

alterum, quam alteri contra Principem. Accedit (2) quod fœdus tale contrahat ipse populus per principem, populum in iis, quæ ad salutem reipublicæ spectant, repræsentantem. At verò populus nunquam moritur, vid. Hobbesius *d. l. c. 9. a. 11.* sed iusta surrogatione sustentatur, Grotius *d. L. 2. c. 9.* Idem & inde apparet, quia (3) omnis utilitas, ex fœdere resultans, ad rempublicam spectat, consequenter & obligatio. E-
nimvero (4) aliàs & in statu Aristocratico & democratico fœdera finiri deberent, extinctis his, quæ ea contraxerunt, cujus contrarium tamen est in confesso. Aliatamen ratio est, quando (5) aliud appareat, vel causa non egrediatur personam. Nam prout partes intra terminos facultatis concessæ disponunt, ita jus est; *pos. VI. add. Celeb. Kestneri præall. Disp. d. l. §. 16. & Grotii f. B. & P. d. L. 2. c. 16. §. 16.*

CONCLUSIO LIV.

Judicia ipsa sunt à natura at forma ab instituto.

ÆTerna Naturæ lex est, hominibus in prima creatione indita, ne quid mali inter eos fiat. Etenim totum humanum genus est quædam Deo sacra societas, quam ipse incorruptam, atque ab injuriis vult intaminatam. Hinc si injuste quid inter homines committatur, necessariò id reparandum est; *pos. VII.* quia odium & vindicta divina in homines non prius tollitur. Dn. Cocceji *Disp. de Sacro-Sanct. talion. Jur. §. 27.* Cum vero homines citra omne vel potestatis vel ordinis di-

scrimen in domicilium terræ positi sint, & ita unus homo ex se & à se non habeat jus alterius actiones cohibendi *pos. III.* necessario requiritur superior sive iudex, quò suum quisque publica obtineat auctoritate, quod privatis desiderii indulgere noluit adversarii malitia; quemadmodum ait Beatus Stryckius, JCrus verè pragmaticus, *In Introd. ad prax. for. cap. 1. §. 1.* Et quantum esset, jus in hominum societate esse, nisi sint, qui jura illa regere possint, ut loquitur JCrus in *L. 2. §. 13. d. O. 7.* Ex quo fluit non solum bellijus sed & judicia & officium Magistratus, quatenus in Jurisdictione consistit, à Natura esse; contra Grotium *d. 7. B. & P. L. 1. c. 3. §. 1. n. 2.* Dicendum scilicet: Judiciorum materiam ab ipsa Natura *pos. XIII.* at formam, ut justitià vel per unum vel per plures vel per certum Collegium expediatur, ex lege positiva introductam esse. perill. Cocceji *Disp. d. Judice Jus ignorante Class. 1. §. 11.* add. Kulpisii *C. G. E. 2. th. 1.*

CONCLUSIO LV.

Imperium malè appellatur Dominium eminens.

Naturæ Imperii nihil magis repugnat, quam vis domini. Quamobrem valde errat Grotius, quod *d. L. 1. c. 1. §. 6.* Imperium dicat eminens dominium. Enimvero (1) dominium involvit liberrimam & utendi & consumendi potestatem *L. 21. C. Mandat.* quæ Imperio plane adversatur. Neque enim Imperans facultate abutendi sed unice administrandi justitiàm & tuen-

tuendis juribus tum publicis tum privatis gaudet. vid. Reinking. *cit. tract. L. 1. Cl. 1. C. 5. §. 91.* Deinde (2) dominium est dominorum causa à Natura constitutum. At verò Imperium solius reipublicæ causa, & non ad utilitatem principis sed onus spectat. Unde apparet, quantopere ab indole sancti Imperii abhorreat facultas, quæ dominio inest. Et quamvis abusive ita appellari queat, multò tamen conducibilius est, si ipsum Imperii nomen retineatur, ut ostendit Dn. Coccejus *in Diss. d. Imperio in pares §. 6.*

CONCLUSIO LVI.

Potestas Regia & patria sunt distinctæ.

TAmetsi & Regia & patria potestas subinde concurrant in una persona, non tamen altera includit alteram ex sententia Grotii *in d. §. 6.* sed sunt distinctissimæ species. Etenim differunt (1) causa: patria potestas est à Natura, Regia ex jure positivo & delatione populi, ut infra demonstrabitur. (2) objecto: patria exercetur in rebus domesticis, Regia in causis regni & publicis. (3) effectu: patria non excedit fines Juris Naturalis, Regia se extendit ad jus vitæ & necis. (4) fine patria est ad educandum, Regia ad malitiam hominum coercendam & juris cujusque tuitionem. Hinc patri quis potest subesse œconomice eique imperare politicè. Unde Ptolomæus, cum filio regnum tradidisset, ipse privatus officium ei fecisse dicitur, sicuti ex Justino refert Dn. Coccejus *d. J. B. & P. pag. 6. Q. 3.*

CON-

CONCLUSIO LVII.

Summa potestas malè tribuitur F. N. potentiore.

Naturaliter summa potestas humano generi concessa, eoque in plures civitates divisa, idem cujus populi jus est intra suos fines vid. *pos XIII. ibique Comm.* Ex quo conficitur, erroneam imo absurdam esse illorum opinionem, qui eam valentiori tribuunt, quorum collimat Hobbesius *de cive cap. 1. a. 14.* dum ait: *potentiam certam & irresistibilem, jus conferre regendi imperandique in eos, qui resistere non possunt.* Etenim (1) Natura potentiam cuique dedit in res & actiones suas, non in alterius. *pos. V. n. 2.* Accedit (2) quod hæc potentia duntaxat in vi & corporis robore: at Imperium in prudentia & facultate consistat. Imò (3) isto principio admissò, summa in his terris potestas potius deberetur brutis, homines corporis membrorumque vi haud rarò antecellentibus. Nam modus vi agendi, belluarum est proprium. Earum naturam depingit Dn. Gundlingius, Vir Celeberrimus, *in lib. d. Efficientia metus. cap. 2. §. 3.* Hæc, inquit, luporum leonumque natura est, ut quo potentia atque appetitus ducit, eant, quoque vis roburque natura inditum impellit, trahantur. Planè (4) illa potentia est saltem temporaria, & morbo, ætate aliove casu vel auferri vel minui potest. lege Dn. Cocceji *Disp. de Armis illicitis §. 73.* hinc jus Imperii perpetuum tribuere nequit. Porro (5) Imperium summaque potestas data est ad tuendum jura; at si in potentia consisteret, semper periculum esset

esset faciendum & conflictandum, ut appareat, quisnam esset valentior? Ita verò summa potestas destrueret potius quam conservaret societatem. Nam in naturæ statu ensis absque sanguinis effusione & humanæ adeo societatis destructione è vagina nequit educi stringique.

CONCLUSIO LVIII.

Summa potestas manet summa, etsi par sit.

MUnus illud administrandi inter homines justitiam, quâ nihil divinitus in summo Numine conspicitur, Imperium appellatur sive summa potestas. *pos. XIII.* Hæc exercetur vel *pace* inter ipsos subditos vi Imperii, vel *bello* in extraneos. *pos. XIV.* Summa autem dicitur duobus modis: vel (1) quæ omnibus est superior; vel (2) qua nihil est superius, etsi par sit. Illo casu potestas summa omnia libere & suo jure facere potest, quia sola est summa nec alterius juri subest: Hoc sine ea, quæ par est, nihil fieri debet & potest, quia tum non est sola sed alia æque summa. Hinc una invita nihil agitur, cum, nisi utriusque concurrat voluntas, nondum est in exercitio summa. Talis olim fuit in Imperio cum duo pluresve essent Augusti, & est hodie in Imperatore & Statibus. Utroque tamen casu Imperium rectè Monarchicum appellatur conf. perill. Dn. Cocceji *J. P. cap. 7. §. 8. &c. juncto cap. 21. §. 4.*

K

CON-

CONCLUSIO LIX.

Summa potestas à nuda ejus administratione est distincta.

PROPRIUS & SPECIALIS summæ potestatis character est
 (1) ut quis eam jure proprio habeat. Qui enim alieno nomine illam exercet, non est summus sed alteri subjectus, nec agit liberè sed ex alterius nutu dependet. Quin talis actio non est instrumenti agentis sed causæ, illud dirigentis. conf. Dn. Cocceji *Diss. de Jure tertii* §. 3. (2) ne sit in genere alteri subjectus, vel ne in totum ab alterius voluntate pendeat. Nam non est superior, qui ipse parere alteri tenetur, cujusque actus juri ac dispositioni alterius subsunt. Utrumque non ex effectu & nuda agendi potentia sed ex causa & titulo potestatis metitur. Enimvero inde demum dignoscitur, suo quis an alterius jure id habeat. Ex quo principio error *Fürstenerii*, Suprematum suum seu superioritatem territorialem, potentia educendi exercitus &c. dimetientis, notatur. Nam prærogativa Principum Regni Francici non à terrarum amplitudine nedum potentia vel æris pondere sed unice ex characterè, quo quisque fruitur, derivanda est. Cæteroquin privatus, crumenas habens aureas, personas quoque illustres antecederet, adde Dn. Cocceji *J. P. c. 21. §. 8. & Diss. de præcedentiâ* §. 3. & seqq.

CON-

CONCLUSIO LX.

Summa potestas natura est divisa sed terrarum finibus.

Creator divinus Imperium naturaliter, ut dictum, toti hominum societati concessit. Et quamvis orbis iterum in plures civitates divisus fuerit, non tamen eo ipso summa potestas sublata, sed pariter divisa fuit. vid. *comm. ad pos.* XIII. Hæc Imperii humanique generis partitio in plures populos, non hominum numero sed necessario terrarum finibus fieri debuit. Quippe (1) in numero nihil certi reperitur, utpote qui morte, nativitate, peregrinationibus &c. mutatur. Hinc (2) singulis ferè momentis nova partitione opus foret. Ut ergo (3) hæc divisio ex ipso J.N. profluat, utpote quam exercendi Imperii necessitas operatur, cum aliàs id effectu destitueretur. Constituto enim Imperio, simul modus intelligitur statutus, qui est unicus & ad ejus exercitium necessarius. *pos.* IV, n. 4. Illud Juris æterni principium ipsi J.Cti Romani penetrârunt, quando *tot. tit. ff. d. jud. & L. f. ff. d. juris d.* jurisdictionem inhærere territorio tradunt. Ex eadem ratione Statibus Regni Francorum vastissimi regalia vi potestatis territorialis in *A. B. tit. 20.* assignantur, conferri meretur celebratissima magnoque eruditionis apparatu constructa Dn. Cocceji *Disput. de fundata in territorio & potestate.*

CONCLUSIO LXI.

Majestas realis & personalis uno eodemque tempore non datur.

Sicuti à Natura cuique Jus est constitutum in suas res & actiones, *pos. V. n. 2.* & de iis liberrima dispositio *pos. VI.* ita nullum est dubium, quin populus sui juris Imperium in alium vel alios conferre pro lubitu possit. Quo casu id in populo cessat tamdiu, quamdiu est in eo, in quem transcriptum est, quantumvis populus Jura quædam Majestatis sibi reservet. Etenim Majestas est aliquid individui, adeoque ubi est, ibi tota est. Ex quo apparet, falsam omnino esse distinctionem politicorum inter Majestatem *realem*, quam semper esse populi volunt, & *personalem*, quam is in principem transfert, hancque illi subesse putant *conf. Grotius d. L. 1. c. 3. §. 8. & Pufendorfius d. l. L. 7. c. 6. §. 4.* Siquidem (1) contradictorium est, populum summam potestatem in principem transtulisse, & tamen simul eandem retinuisse: Principem Imperiû, à populo delatum, acceptasse, nec tamen populum id ei tradidisse. (2) Imperium est individuum. Aut igitur est in populo, aut in Principe: non in populo, quia is illud Principi, ut potest, concessit, ergo in Principe, quid id acceptavit. Neque vero (3) dixeris, minimè præsumendum, populum omne Imperium Principi obtulisse, nulla ejus parte retentâ. Nam statim tibi respondeo: non hic esse quæstionis, quid sit præsumendum? sed quid revera actum? Eorum enim, quæ agimus, causa est, non eorum, quæ non agimus. Præsumtio igitur cedit actioni, in oculos incurrenti. Frustra populus de libertate gloriatur, qui in ea persistere non vult. Et, mea quidem sententia, proxime ad stultitiam is accederet populus, qui Imperium, quod tenet, & ulterius tenere potest, in Principem citra ullam reservationem simpliciter transferret, deinceps,

ceps, Imperio à Principe acceptato, contra Principem, se hoc vel illud non transtulisse, multis verbis Oratorum more peroraret. Hinc verum est, translatio Imperio penes populum id manere, quod is non transtulit vel transferre potuit, & hoc, si Majestatis realis vocabulo utendum, appellari potest Majestas realis. In sensu alio, ut à multis sumitur, differentia est inepta. Ita rem explicuit Dn. Coccejus in collegio Grotiano *add. §. 8. conf. Kulpis d. l. p. m. 22. tb. 6. ibique allegat.*

CONCLUSIO LXII

Familiâ regnatrice extincta, Imperium ad populum redit.

Quando populus sui juris Imperium, quod habet, in unum vel plures confert, præter solam & tenendi & defendendi potestatem nihil intelligitur concessum, cum populus ipse nihil amplius habeat, & vox imperii præterea per se nihil aliud involvat. Dn. Cocceji *cit. Disp. de Imperio in pares §. 1. &c.* Extinctis autem illis, quibus summa potestas collata, ipso jure ad populum revertitur; teste Grotio *d. L. 2. c. 9. §. 2. qui deinceps de illa, ut lubet, disponere valet. p. 11.* Cum enim Imperium sit à populo, tanquam à causa, & in populo tanquam in fonte, & primitus ex populi delatione oriatur, tanquam ex fonte & causa: necessario, remoto imperante, jus suum populus recuperat. Ut jus fit, ita dissolvitur. Et quemadmodum qualitas extinguitur subjecto, in quo illa est, extincto, ita Imperium tollitur, Principe mortuo. Mortuus facultate

tate Imperii destituitur. Exemplo esse poterit, cæteris paribus ususfructus, qui mortuo usufructuario cum dominio proprietatis consolidatur, & in Domini potestatem recedit. *L. 17. ff. Quibus mod. Usufruct. vel usus amitt.*

CONCLUSIO LXIII.

Omne Imperium naturâ est electivum.

Ratio & finis ultimus summæ potestatis consistit in administratione & tuitione Jurium, tum publicorum tum privatorum. Hæc facultas prudentiam animæ requirit, nec ad hæredes transferri per naturam potest, non magis ac virtus patris in filium transcribi. Unde evidenter apparet, distinctionem regnorum in Electivâ & successivâ naturaliter esse incognitam. Nam omne regnum propriè est electivum, quia populus deferendo Imperium personæ habilitatem respicit. In eo tamen differentia esse videtur, quod in regnis *Electivis* sola Principis persona, in *successivis* tota familia eligatur. His proinde extinctis, in quas potestas summa translata, necessariò ad populum, tanquam fontem, ut in præcedentibus dixi revertitur. Et quamvis subinde in regia familia continuetur, id tamen non fit ex jure, sed ex liberrima populi dispositione qui ob utilitatem reipublicæ familiam totam omnesque in ea habiles eligere potest & voluisse præsumitur. adde Dn. Cocceji *J. P. cap. 7. §. 16.*

CON-

CONCLUSIO LXIV.

Princeps ea, quæ acquirit, Reipublicæ acquirit.

CAPUT populi est Princeps, qui id, quod agit, reipublicæ causa agit. Inde constat: Sententiam Grotii *in d. L. 1. c. 3. §. 12. n. 3.* ubi sentit: principem sibi acquirere, si suo sumptu bellum gerat, erroneam esse. Enimvero (1) non ei acquiritur, cujus opera & sumtu sed cujus nomine ac jure res agitur. Atqui Princeps belli gerendi jure non gaudet ut privatus sed ut pars & moderator reipublicæ, quam repræsentat. Ergo necessario id, quod bello acquiritur, reipublicæ & coronæ acquiritur. In primis (2) quia in bello opera non est solius Regis sed maxima ex parte populi. Quin (3) in statu democratico acquisitio non fit singulis sed universis. Uti ergo (4) concilium populi in Democratia populum repræsentat, ita in Monarchia Princeps eundem. Utrobique salus populi & reipublicæ defensio suprema lex & finis esse debet. Lege perill. Dn. Cocceji *J. B. & P. pag. 48. Q. 5.* & Pufendorf. *d. J. N. & G. L. 7. c. 9. §. 3.*

CONCLUSIO LXV.

Princeps Regnum alienare nequit.

OMNIS facultas Regis in defendenda non evertenda reipublica consistit. At qui alienat perdit. Reges sunt reipublicæ tutores non tollitores. Debent illi non
tam

tam præesse quam prodesse nec tam sibi subditos quam se subditis datos arbitrari. Hinc Rex alienando regnam terminos facultatis concessæ notoriè excedit, consequenter nihil agit. *pos. VII.* Nam si, agendo ita, agit nihil, id, quod ita agit, nullum est. At quod est nullum, etiam nullum producit Juris effectum. Hæc regula exceptionem patitur, si (1) alienandi potestas sit concessa: veluti si princeps alienet, nec populus dissentiat, tamen enim alienationi consensisse censetur, quia alius finis omiſſa contradictionis dari nequit. Et qui actui præſens contradicere debet, & non contradicit, eundem approbare intelligitur. (2) si moribus hoc obtineat: scilicet, quando lege feudi vel officii aliquid transfert, dominio directo rei publicæ semper salvo. add. Dn. Cocceji *J. P. cap. 21. §. 6.* vel (3) respublica aliter servari nequeat, quo casu alienatio sub ejus officio comprehenditur & necessitate non aliter evitabili excusatur. v. Dn. Cocceji *J. B. & P. p. 4 Q. 1.* Omnia enim, sine quibus pax & publica salus obtineri nequeunt, à natura Principi sunt permessa. *pos. IV. n. 4.*

CONCLUSIO LXVI.

Regum & Summarum potestatum ordo non aliunde definitur potest, quam à tempore, victor tamen succedit in ius victi.

Vixullæ intermortales controversiæ, majori studio animorumque contentione agitata; reperiuntur, quam

quam quæ honorem, existimationem ac præcedentiam concernunt. Et uti id ipsum vita privatorum factis aperte prodit: ita cum primis inter Summos populorum Rectores, & qui par jus habent, illud videre est. Enimvero hi in excelsa ætatem agunt, nulloque humanæ legis vinculo subjiciuntur. Ad hujus quæstionis arduæ nodum ritè solvendum, notari meretur: Regum præcedentiam non nisi à tempore naturaliter determinari posse. Nam (1) Reges ad unum omnes vicaria Numinis Supremi potestate administrationi reipublicæ & in hac justitiæ præsumunt, omnesque inter se pares. Ergo non potest aliunde ordo decidi, quam à tempore. Deinde (2) Rex tempore prior eo ipso jus dignitatis eique connexi ordinis habet quæsitum, quod Rex, noviter factus, ei citra injuriam auferre nequit. Prior tempore, potior jure. Qui primum habet esse, primum habet frui. adde Dn. Cocceji *Dissert. d. præcedentia* §. 10. Quocirca (3) fallunt & falluntur, qui præcedentiam à virtute hinc decidere satagunt. Ita enim non Regum sed totius reipublicæ virtus attendi deberet. Præterea cum Reges judice terrestri careant, nemo eam determinare potest. Quin nec ipsius reipublicæ dignitas ac virtus perpetua, nec denique ipsa virtus certam habet æstimationem. Limitatur regula (4) quando victoriis jus potius est quæsitum, quia tum victor jus devicti, consequenter ejus gradum acquirit. Atque ita cum regno simul ejus præcellentia occupatur. Eadem proedriæ ratio in collegio parium obtinet. Ut docuit Dn. Coccejus in *lect. J. N. & G.*

L

CON-

CONCLUSIO LXVII.

Successio in Regnis F. N. incognita.

Regnorum & Principatuum sua natura nulla est successio, ne quidem ex furragitone sed unice ex dispositione hominum. Nam (1) successio in locum occupationis est surrogata. *pos. X.* Hinc quæ in occupationem non cadunt, illa nec in successione. Atqui verò occupationi sunt obnoxia, quæ ad conservandam vitam pertinent. Imperium autem non vivendi edendique sed justitiæ tuendæ causa à Natura est statutum. Dn. Coccejus *Disp. de Imperio in pares §. 2.* Ergo occupari nequit, & sic in eo non succedi. Inprimis (2) quia occupatio non datur nisi in rebus nullius; ut ostendit *in comm. ad pos. V. n. 1.* qualis non est regnum, sed id originariè est humani generis. *pos. XIII.* Quin imo (3) in privatis, si statum primævum respicias, non datur successio, *pos. IX.* nedum in regnis & publicis. Enimvero (4) Imperium est meritum personale summaque in republica dignitas, quæ ultra personam merentem non datur. Personalissima non admittunt successionem, nec unius meritum est alterius meritum. Dn. Kestner *de Jure Hassiaco §. 4.* Porro (5) Imperium est sacra Dei que vicaria potestas Dn. Coccejus *F. P. c. 21. §. 2.* nec sub patrimonio, in quod demum succeditur, continetur. At vero (6) successio Regis liberis à populo vel expressè vel tacite concedi potest, *pos. VI.* adeoque ea non est, nisi ex dispositione hominum ac delatione populi. adde Schüzii *Colleg. Jur. publ. V. 1. D. 3. tb. 5. Lit. G.* Huic autem facultas competit eligendi vel unum

num vel totam familiam. Illo casu Regnum morte electi finitur: Hoc quamdiu aliquis ex Regis familia superest, durat.

CONCLUSIO LXVIII.

Succeffione positâ, succedunt soli descendentes Principis electi.

ET si in Regnis naturâ non detur successio, potest tamen à populo ita disponi, ut modo dixi. Ex hoc itaque pacto soli descendentes Principis electi succedunt. Nam (1) non expresso alio succedendi ordine, is intelligitur, qui Jure Naturali obtinet. At naturaliter descendentes soli non autem collaterales succedunt *pos. X.* In primis (2) quia introducta successione regnum hæreditati assimilatur, in qua descendentes tantum hætenus successione sunt capaces, uti ex primis Jurisprudentiæ principiis constat. Sed & (3) successio talis ex dispositione populi conceditur familiæ primi acquirentis, quæ inter parentes & liberos est non collaterales, utpote qui non sunt in ipsius sed in communi parentum familia. Dn. Coccejus *in Disput. de ordine succedendi famin. Illustr. Sect. 3. §. 2.* Verum (4) non omnes simul & semel succedunt, sed quisque suo ordine, nisi additum, ut inter se dividant, vel plures actu eligantur: Nam prout illi disponunt, qui possunt & volunt disponere, ita omnino jus est, siue verbis siue factis voluntas declaretur. *pos. VI.*

CONCLUSIO LXIX.

In Regnis solus succedit primogenitus.

Vocabulo Regni, principatus &c. exprimitur unus regimen. Dn. Coccejus *J. P. c. 27. §. 7.* Ipsa necessitas & regni natura & justitiæ administratio & commune bonum postulant, ut in regno sit unus Rector. Enimverò si regna essent dividua, brevi tempore non essent regna sed bona privatorum. Inde Dn. Kestnerus, Vir mihi amicissimus, *de Jure Hassiaco §. 6.* eleganter, *si*, inquit, *promiscuam regnorum divisionem in infinitum admitteremus, in tantas, labentibus multis seculis, sensim sine sensu particulas regnum dissolveretur, ut Regnum non amplius Regnum sed prædium forte futurum esset.* Hoc stabilito, veniamus ad quæstionem: Quis ergo in Regno succedere debeat, si plures sint liberi? Et certum Gentiumque consensu abunde firmatum est, solum primogenitum succedere debere; ut tradit Mylerus, JCrus doctissimus, *de Statib. Imper. cap. 21. §. 2. &c.* Hobbesius *de Cive cap. 9. a. 17.* Schüz. *d. V. l. D. 7. tb. 10.* Reinking. *d. l. L. 1. Cl. 4. c. 1. §. 39.* Etenim (1) primogenitus, ceu Regis filius, in ipso nativitatis puncto omne jus succedendi acquisivit, ei nullatenus auferendum. Quin (2) liberi postea nati nihil juris habent, nisi ex tempore, quo geniti. Ac primogenitus, antea natus, jus solo Naturæ factò quæsitum tenet. Ergo (3) nulla est ratio, minorem præferens majori, at solida majorem minori. Præsertim (4) cum fratres tum quoad parentes, tum quoad nativitatis formam, tum quoad facultates naturæ sunt

sunt æquales. Ut proinde (5) solum tempus Juris diver-
 sitatem & efficientiam producat. Consensum Gen-
 tium exhibet par nobile Naturalistarum Summus Gro-
 tius *d. J. B. & P. L. 2. c. 7. §. 13. & 18.* & Celebratissi-
 mus Coccejus *d. J. B. & P. pag. 6. Q. 2.* Verum (6) si
 nascantur Gemelli, & non constet de primogenito, uti
 per errorem contingere potest, tum ambo succedunt.
 Nam aut debet succedere unus aut neuter aut uterque.
 Non unus: quia ita alteri fieret injuria, & quidem eo
 gravior, quo minus ostendi potest, eum, qui exclu-
 ditur, non esse majorem. Non neuter: quia tum re-
 gno privarentur, in Regem electum ejusque descen-
 dentes habiles, quales illi sunt, semel ex dispositione
 populi delato. Ergo uterque succedit ex doctrina Dn.
 Cocceji *in Disp. de Success. Nepot. sect. 6. §. 7.* confer
 Hunnius *in Resol. Jur. Civ. L. 3. tit. 1. Q. 21.* ubi septem
 sententias Dd. adducit, sed pro præsentis rationes
 deducit.

CONCLUSIO LXX.

*Primogenitus succedit, licet sit ante digni-
 tatem natus.*

QUanquam nonnulli opinentur: filium, qui ante
 adeptum à patre regnum natus est, reliquis post-
 ea natis non præferri in successione regni, quorum
 sententiam & rationes exhibet Hunnius *d. l. Q. 25.* Ve-
 rior tamen illorum est opinio, qui cum cæteris præfe-
 runt, ut facit Hunnius *d. l.* Grotius *d. l. §. 28.* Myler. *d.*
s. 21. §. 9. Etenim (1) primogenitus in ipso momento

nativitatis, ut jam expositum, acquirit jus succeden-
 di in omnia Jura, quæ pater mortis tempore est reli-
 cturus legatur Molina *de primog. Hiss.* 3. c. 6. n. 30. Engel-
 brecht *de Successione Elector.* lb. 23. & c. quos citat & se-
 quitur Myler *d. l.* §. 10. Accedit (2) quod successio
 demum fiat post mortem, nec inspiciatur hic quanti-
 tas bonorum & jurium, quæ tempore nativitatis sed
 mortis fuere. At natus ante regnum, à parte quæsi-
 tum tempore mortis indubiè est primogenitus. Ergò
 hic solus succedit. Præsertim (3) quia primogeniti
 jus & filiatio dependet à substantia paterna non quali-
 tate ei adhærente. Alias (4) si solus supereffet, planè
 non succederet, quod tamen nemo statuet, nisi qui
 cœcum simulat & oculos claudit. Imo (5) si bono-
 rum quantitas ex tempore nativitatis dimetienda esset,
 pater, Regni possessor, nihil quicquam alienare vel
 mutare sub quocunque etiam prætextu posset. Quo-
 circa primogenitus talis certissimo jure præfertur tum
 in quæsitis familiæ tum in acquirendis; quæ est doctri-
 na Dn. Cocceji in *J. B. & P.* p. 52. Q. 2. ubi notissimum
 exemplum Imperatoris Ottonis I. adducitur.

CONCLUSIO LXXI.

*Nepos ex primogenito patruo suo in suc-
 cessione præfertur.*

PROcedit in deliberationem nobilis sed quæstio gra-
 vis, quæ magna quoque ingenia torfit, & toties
 quoties disputantibus enssem in manus porrexit: An
 nepos ex filio primogenito in successione Regni patruo
 suo

suo præferatur? Utriusque sententiæ rationes collegit alleg. Hunnius *d. l. Q. 27.* affirmativam, quæ & verior, amplectens. Siquidem (1) Regis electi liberi, et si præmortui, transmittunt, lege naturæ omne jus suum cum omni lege, prærogativa, ordine & eventu ad suos liberos habiles. His enim omne jus, quod pater jam habet, vel unquam habiturus est, in ipso natiuitatis puncto acquiritur, uti me docuit perillustr. Dn. Coccejus in *Colleg. Grotian. ad d. L. 2. c. 7.* Inprimis (2) quia Jus repræsentationis est à Natura & in Regnis per quod filius in locum sui parentis succedit, eumque occupat cum omni Jure; add. Hobbefius de *cive cap. 9. A. 19.* Pufendorfius *d. J. N. & G. L. 4. c. 11. §. 12.* Ulterius (3) successio in regnis non defertur gradibus sed lineis. Dn. Cocceji *J. B. & P. in S. R. P. p. 14. Q. 1.* Et hinc cum nepos primogeniti ex familia ejus superest, non potest successio lineæ proximæ competere: quia quamdiu ex familia primi acquirentis, quæ radicato Jure fruitur, aliquis restat ad lineam proximam & familiam secundo geniti sine injuria transitus fieri nequit. Dn. Coccejus *Disp. d. Ord. succend. S. 4. §. 4.* Sicuti autem (4) filius natu major reliquos natu minores excludit, ut dixi, ita linea propior omnino remotiorem. Inde Buddeus, Antecessor Jenensis Celeberrimus in *Select. J. N. & G. pag. m. 182. §. 30.* eleganter sequenti modo: *Et nepotis, incedit, quidem potiore esse conditionem jure meritoque, quam patru, haud difficulter demonstratur. Etenim iisdem rationibus, quibus evictum supra est, inter omnes successionum modos, linealem à ratione ipsa commendari etiam probatur, nepotem jure præferri patruo.*

truo. Nec etiam robore suo destituuntur, quæ de vicaria successione, quam representationem dicunt, in medium afferre solent. Etenim banc efficere ut in patrimoniali regno nepotis potior sit conditio, vel inde constat, quod equitatis leges postulent, ut filius ea, quæ patri superstiti obventura fuissent, capiat, cum mors, quam evitare nemini licet, liberis nullo modo nocere possit, aut eos jure, quo vivente patre gavisuri fuissent, privare. Durum hoc nimis & inhumanum, ne dicam barbarum, esset. Et paulo post: Statim enim ac nati sunt primogeniti, jam jus aliquod ad succedendum habent: quin jam ipso conceptionis tempore, si alios audias, hoc ipsis acquiritur: idque licet non exercent, nihil tamen obstat, quo minus in liberos suos istud rursus transmittere possint.

CONCLUSIO LXXII.

Fœmina F. N. in Regnis non succedunt.

INter personas, à successione Regnorum naturaliter exclusas, quoque conspiciuntur fœminæ, utpote quæ in iis succedere nequeunt. Siquidem (1) Natura dedit masculis in fœminas potestatem & Imperium, non contra; *pos. V. n. 5.* Uti ergo carent imperio in privatis, multò magis in publicis, Schüz. *d. V. l. D. 2. ib. 9. lit. D.* Adde (2) quod populus Regnum familiæ primi acquirentis detulerit, eoque fœminis id denegaverit, quia alias & fœminarum liberis competeret & sic contra populi voluntatem in alienam famili-

miliam transfret, cum foemina nubendo in aliam familiam perveniat, v. Grotius *d. c. 7. §. 17. & 23.* Et hinc (3) Imperium vix ac ne vix ad populum revertetur, sed modo huic modo alii familiae subjiceretur. Imò (4) foeminae ne quidem in statu Democratico nec Aristocratico admittuntur, ubi pariter jus populi administratur. Uterius (5) absurdum foret, sexum debiliorem praepone praestantiori, cui à Natura duntaxat Imperium est datum. adde Dn. Kestner *d. Jur. Hass. §. 7.* Certè si (6) foeminae à natura essent ad Imperium habiles, maxima injuria inde ab orbe condito, fuissent exclusae. Neque verò (7) obstant exempla quaedam in contrarium. Nam foeminae tales vel ut tutrices filiorum vel ex libera electione vel rarissime & novissime ex successionis jure regnarunt, conf. Dn. Cocceji *J. B. & P. pag. 38. Q. 3.*

CONCLUSIO LXXIII.

Foeminae admisse non succedunt, nisi masculis extinctis.

Certum & modo dictum est, foeminas in Regnis non succedere. At vero si foeminae ex liberrimo populi arbitrio ad Imperium quoque rite sint vocatae, non tamen J. N. succedunt, nisi post omnes masculos ejusdem familiae. Dn. Coccejus *d. Ordine succedendi familiarum illustrium Sect. 4. §. 8.* Quandoquidem (i) dispositio populi in foeminarum favorem non in masculorum fieri praepudicium potest. Et hinc is foeminas tantum in casum masculorum deficientium vocasse

M

cense-

cenſetur. Præſertim (2) quia nulla apparet ratio, cur populus malit Imperium in alienam tranſire familiam, quam in propria, cui jam aſſuevit, manere. Quin imò (3) jus maſculorum eſt certum & à Natura, quod proinde tam diu valet, donec ei per expreſſam populi diſpoſitionem derogatum eſſe appareat. Nam populus conceſſit fœminis jus quod non habent, maſculis autem nequit auferre, quod habent. Porro (4) primi acquirentis intentio haud eſſe videtur, quod obeſſe voluerit proli maſculinæ, quæ familiam, nomen, inſigniaque retinet, cujus tamen æternitati homines naturaliter ſtudere ſolent. Dn. Keſtner d. l. ſ. 8.

CONCLUSIO LXXIV.

Rex in Regno antiquo ſucceſſorem non deſignat, ſecus in novo.

Maximi momenti quaſtio ſeſe nobis offert: An iudicium de ſucceſſione penes Regem fit? ſive, an Rex pro arbitrio ſucceſſorem determinare queat? Ut hæc ſolidius paulo ſolvatur, inter regnum antiquum & novum eſt diſtinguendum. In illo Regi facultas illa neutiquam competit. Etenim (1) populus in regno antiquo Imperium contulit toti familiæ: cui per primi acquirentis factum & acceptationem jus eſt quaſitum, quod proinde hiſ auferrî, qui ſunt de familia primi acquirentis, nequit. Accedit (2) iudicium de ſucceſſione in caſum mortis conceptum ſucceſſorem haud obligare, adeoque conſtitutio ejus nullius eſt va-

loris. adde Grotium *d. l. §. 27.* Inde Illustris JCtus Dn. J. G. Coccejus in dissertatione sita inaugurali *part. 2. §. 18.* ex mente summi parentis bene *sum*, ait, *nullum jus successionis, nedum lis de successione esse possit, nisi post mortem regnantis: efficitur utique nemini iudicium in causa competere, nisi qui tunc legitimus iudex est, cum causa agitur: nequaquam autem illi, qui eo tempore jam defunctus est: nec quicquam magis à ratione alienum est, quam mortuum esse causa, tum cum ventilatur, iudicem. Sed & certum est, omnes, qui de regno contendunt, nullum in ea causa agnoscere superiorem, cum omnes se Reges, & cum summa potestate esse contendant, quos repugnat habere iudicem & superiorem.* At in Regno novo res sese habet aliter. Ibi enim primus acquirens ex liberis suis, quem vult, eligere potest, modo Regnum extra familiam non alienetur. Id apparet, quia (1) in primi acquirentis liberrima fuit voluntate, regnum acquirere vel non acquirere, & sic de acquisito eousque disponere potest. *pos. VI.* Deinde (2) hoc Regnum ille ex delatione populi sub hac conditione acquisivit, ne illud extra familiam transferat. Igitur in ejus arbitrio est, de solo ordine disponere. Adde (3) quod Regni concessio fiat in primi acquirentis non familiæ favorem. Nam populus solius electi merita respexit. Quocirca Rex de favore pro se introducto legem libere dicit. Eadem decisio obtinet in seculo antiquo & novo, ut in illo familiæ ordo obtineat, in hoc primus acquirens jus eligendi habeat. *l. f. 8.*

CONCLUSIO LXXV.

Princeps privilegia, semel translata, regulariter non revocat.

CUM Jus semel translatum non possit recuperari, & in translatis cesset repetitio Juris: ex eo facile deciditur, Principem beneficia privilegiaque sua, quæ semel in subditos rite transtulit, revocare non posse regulariter. Nam hæc facultas potestati Principis est exempta & ipsius officio, in tuendo non auferendo jure consistente, penitus adversatur. Neque etiam Principum est proprium, concessa auferre, neque Majestatis, subditos jure quæsito privare. Exceptio adest, si (1) jus non sit translatum, veluti si privilegium sit mera gratia & instar precarii. Nam obligatio oritur tantum ex translatione Juris. *pos. VII.* Hac proinde cessante, revocatio privilegii est permissa, quia alteri tum nullum jus est quæsitum. (2) si appareat, Principem vel noluisse vel non potuisse jus ita transferre. *conf. Mylerus de Stat. Imperii cap. 49. Dn. Kestneri Diss. cit. d. Contr. summ. potest. c. 2. §. 43.* Ratio utriusque evidens est. Si enim sequatur status vel voluntatis vel impotentia, tunc cessat Juris translatio. Deficiente voluntate & facultate, deficit ipsa Juris concessio, quæ inde oritur. Hoc principium faciem præferentium regulæ, quæ vult, conventionibus tacitam illam elatusulam **REBUS SIC STANTIBUS**, inesse, quam peculiari disputatione eaque erudita Dn. Coccejus exposuit. Interea hæc regula non est ad abu-

sum

MOD

sum trahenda, ne sub prætextu publicæ tum utilitatis tum necessitatis civibus bona inique auferantur, Nam & natura piaculum & abominabile est, absque causa legali homines jure suo privare. *comm. ad pos. VII.*

CONCLUSIO LXXVI.

Successor Regis factum ejus præstare tenetur.

Quod is, qui succedit in locum simul succedat in jus, & hinc successor defuncti factum tum active tum passive præstare debeat, prima Juris & Naturalis & positivi principia clarissime docent. Verum enim vero isthæc Juris decisio in successore Regis Principisque ita simpliciter non est admittenda sed distinctione quadam explicanda. Constat nimirum, Principi esse duplex Jus, aliud privatum, aliud publicum. Hinc diverso modo in id succeditur. (1) In privatum Regis patrimonium succedunt omnes heredes & capiunt omnia, quæ is extra rempublicam possidet, æque ita hi, quatenus plus suo habent, alteri, qui minus suo tenet, ad reparandum resarciendumque damnum sunt obligati, *pos. VII. Dn. Cocceji Diss. d. Distinct. bonor. c. 2.* Ex adverso cum (2) in Regno ex delatione populi succedat primogenitus solus, hinc ille quoque solus ad exsolvenda rei publicæ onera obstringitur. Ergo duplex hic successor est, privatus & publicus, quisque succedit, sed diverso respectu, ille in privatis, hic in publicis, uterque Antecessoris factum præstare tenetur.

stat, quatenus succedit, ejusque personam repræsentat. conf. Dn. Coccejus *J. P. c. 27. §. 23.* & c. Schüz. *d. V. 1. D. 3. 1b. 8.* Grotius *d. l. 2. c. 14. §. 10.* & 11. Verum iste, ex quo successor obligari debet contractus, intra justos administrationis justæ terminos celebratus sit oportet, Reinking. *d. L. 1. Cl. 3. c. 10. §. 38.* & 39. Secus proinde, quando contractus cum destructione Regni ac convulsione Status publici est conjunctus. Nam quatenus Princeps excedit contrahendo fines facultatis concessæ, eatenus id, quod agit, nullum est. *pos. VII.* At quod nullum, etiam nullum producit in disciplina Juris effectum: quia manifeste absurdum videtur, aliquid non valere & tamen effectum habere.

CONCLUSIO LXXVII.

Datio tutela in Regnis à iudicio defuncti non dependet.

Indidit Natura instinctum liberos educandi & defendendi parentibus solis, *pos. IV. n. 1.* eoque iis solis tutelam curamque partus commisit. His proinde morte sublatis Naturæ dispositio cessat, consequenter ad alium ista cura non pertinet, quia naturalis instinctus in eo cessat. Sed & certum est, Naturam cuique seorsim in sua jus dedisse. *pos. V. n. 2.* & hinc alter curam alterius gerere non teneri. Ex quo in lucem collocatur, patrem in testamento filio impuberi nec dare tutorem, nec adeo tutelam ejusmodi J. N. subsistere posse. Nam cum (1) non solum tutela, ut jam dictum, meri juris positivæ sit, sed & testamenta natales suos eidem debeant

ant, exinde efficitur, tutelam, si esset J. N. ut non est, tamen non valere. Inprimis (2) quia is, qui tutorem constituit, in eundem potestatem habere debet. At naturaliter pater in extraneum nihil juris habet ac Imperii, *pos. I.* & sic dispositio talis effectu destituitur, maxime cum disponens jam sit mortuus. Non igitur patris voluntas hic valere potest. Nam illa dispositio valere debet, aut facta à patre vivo, aut à mortuo; non à vivo: quia vivente patre tutor non constituitur, nec eo opus est, non à mortuo: quia mortuus est cadaver, atqui cadaver non disponit. Quin imò (3) cum successor æquè summâ potestate gaudeat, ne ulli hominum legi subjaceat, idcirco ex dispositione defuncti, cujus facultas morte expirat, tutorem accipere non obligatur. Hinc (4). Rex successori sive infanti sive impuberi tutorem dare nequit, at populus constituere tutorem potest, vel agnatus proximus tutor est, qui & usû Gentium & ratione præfertur, quasi vacante administratione. lege perill. Dn. de Prinzen *Disp. d. tutel Illustr.* sub præsidio Dn. Cocceji habitam *sect. 2.*

CONCLUSIO LXXVIII.

Subditus factum sui Principis præstare tenetur.

Concessit Natura unicuique originarie Jus & in res & in actiones suas. *pos. V. n. 2.* Quamobrem ex facto unius alter obligari nequit. Neque enim factum meum est factum tuum, nec motus mei corporis, tui corporis motio, atque siccatenus ex meis operationibus

in

in te per naturam non est influxus. Sed & innuit idem natura ipsius obligationis, quæ requirit declarationem voluntatis, ab eo factam, qui jus suum in alium transferre valet, & sic alteri obstrictus esse cupit. *pos. VI.* Hæc regula limitationem recipit in subditis & civibus, utpote qui rem publicam & rebus & actionibus suis quovis modo defendere & sic pro facto sui Principis responderententur; ut tradit Grotius *d. J. B. & P. L. 3. c. 2. §. 2.* & Pufend. *d. l. L. 7. c. 2. pass. & L. 8. c. 2. §. 1.* Expressit hoc necessitas mediæ, in moralibus juris habens efficaciam *pos. IV. n. 4.* Imò monstrat constitutionem societatis publicæ finis, quo, si est unicus, innaturalibus plenissima fit probatio. *pos. IV. n. 3.* Nam cura (1) Cives se suaque, relicta naturali libertate & æqualitate, societati huic publicæ submiserint, necessario & bona & personas suas eidem submisisse intelliguntur, quatenus utrumque ad impetrandum finem, qui est, ut quisque rebus suis quiete tranquilleque fruatur, requiritur; uti ostensum in *Comm. ad pos. V. n. 4.* Neque enim sola Principis persona, potestate legali in cives eorumque res denudata, illum, qui intenditur, finem producere valet, neque ad eum procurandum tali modo obligatur. Verum (2) hæc subditorum obligatio ab una, & Principis potestas ac Imperium ab altera parte se non in infinitum extendit, uti quidem Hobbesius, si studio fecit & sentit, impie somniat, *d. sive cap. 6. n. 12. & c.* sed tamdiu saltem, donec notorie de Principis constet injustitia. Hanc enim defendere subditi nec debent nec possunt. Nemo ex delicto alterius obligatur. Hinc si cives non contradicant, tacite factum Principis approbant, atque ita delicti fiunt

COR-

correi & ex eo tenentur. Grotius *d. l. 2. c. 21. §. 7. n. 1.*
 Nam qui contradicere debet, & non contradicit, æ-
 que peccat, ac si injuste agit ipse. Et in naturali jure
 delictum non solum agendo, sed & omittendo com-
 mittitur. *v. comm. ad pos. VII.* quia Natura homines li-
 berrimis & agendi & omittendi potentiis instruxit.
pos. I.

CONCLUSIO LXXIX.

Tempus omne est, vel belli, vel pacis.

DUO sunt naturaliter tempora, in quibus & ipsius
 Reipublicæ status & omnis studiorum artiumque
 ratio expeditur, belli aut pacis. *v. Grotius d. J. B. & P.*
L. I. c. 1. §. 1. Hæc & natura & jure sunt distincta.
 Nam nec in bello pax nec in pace bellum, nec in eo
 plena securitas, nec in hac hostilis invasio habere lo-
 cum possunt. Aliæ sunt pacis, aliæ belli artes,
 quæ in idem tempus concurrere nequeunt. Neque
 verò istis erroris maculam asperges, quando inducia-
 rum tempus in concionem producis. Nam repono:
 etsi induciæ aliquando interveniant, illæ tamen bel-
 landi facultatem non penitus tollunt, sed ad tempus belli
 saltem exercitium suspendunt, nec iis bellum plenè
 finitur, sed ensis parumper deponitur & vaginæ im-
 mittitur. Perinde uti in privato judicio ob incidentes
 ferias lis non dirimitur. Neque enim quisquam opi-
 nabitur, litem esse finitam, si judex pro tribunali se-
 dens parti petenti dilationem quindenæ vel ad proxi-
 mam concedat. Hinc Status *belli* durat, donec ulti-

mâ victoriâ vel pace finiatur: *pacis*: usquedum cum cum libero populo, qui solus Jure belli gaudet, bellum inchoetur.

CONCLUSIO LXXX.

Omne bellum propriè est defensivum.

Vulgatissima est belli partitio in offensivum & defensivum. Quade re videri poterat, omne bellum sub significato defensivi collocari neutiquam posse. Verum enimverò nihilominus manet verum, omne bellum proprio sensu esse defensivum juris sui, quantumvis alter offendatur. Nam sicuti in privatis is, qui primus incipit litem, & fori fores pulsat, non statim clypeo injustitiæ tegitur: ita quoque inter Summos Civium Rectores ille non illico latronum prædonumque caractere dignus est, qui primus educit ensẽ e vagina eumque alteri ostentat vibrando. Id ut exemplo declaretur, certum est, quando hostis tenet id, quod nostrum est, nec id absque offensione repeti queat, hanc offensionem revera defensionem esse, quia illa duntaxat jus nostrum recuperatur, quod alio medio recipi nequit; adde Dn. Cocceji *Disp. de armis illicitis* §. 16. Neque vero hujus veritatem destruit, quod sæpius quis alterum offendat absque causa & repetitione juris ablati, adeoque nulla hic subsit defensio: Nam replico: ejusmodi invasionem non esse bellum sed latrocinium. Bella sunt sanctissima Dei sanctissimi judicia, non promiscuæ deprædationes. Et jus non derivandum ex hominum factis, injustitiæ haud

haudrarò perfusis labe sed ex voluntate supremi Re-
rum arbitri. Scilicet sola Juris nostri defendendi ne-
cessitas excusat bellum, quod est: facultas legitima si-
ve jus de re controversa per vim certandi.

CONCLUSIO LXXXI.

*Bellum privatum extra statum Naturæ
est illicitum.*

Celebris est belli divisio in publicum & privatum: Il-
lud auctoritate potestatis summæ: Hoc ab unoquo-
vis geritur. Verùm in eo differentiæ cardo vertitur,
quod illud toties, quoties juris defensio requiritur,
licitum: Hoc verò extra casum deficientis judicis illi-
citurum sit. Enimverò (1) constituto jure summæ po-
testatis, necessariò constitutum videtur, sine quo jus
ipsum nec esse nec ad effectum deduci potest. *pos. IV.*
n. 4. At vero summa potestas est à Natura statuta, ei-
que facultas data, dirigendi actiones subditorum
pos. XIII. cui proinde cives sese submittere debent, nec
adeo bellum privatum absque injustitia gerere pos-
sunt. Quin (2) cum jus summi Magistratus ex dictis
est in confesso, necessariò illicitum esse debet omne,
quo is ejusque natura evertitur. Nam uti in natura-
libus finis ad media jus concedit, ita simul media pro-
hibet, quæ finem impetrandum impediunt: Et quem-
admodum medium unicum ad obtinendum finem,
sive jus certissimè statutum est J. N. licitum: ita è contra
media, quæ jus & finem enervant, illicita. *pos. IV. n. 3.*

¶ 4. Everteretur autem dubio procul summæ potestatis natura, si quisque hostis cuique ob injuriam acceptam esse, bellum privatum inchoare & victoriam juris sui propriis experimentis quærere vellet. Igitur bene ait Grotius *d. l. L. 1. c. 4. §. 2.* *Nam si maneat promiscuum illud resistendi jus, non jam civitas erit, sed dissociata multitudo, qualis illa Cyclopum, confusa turba, nemo ubi audit neminem.* Quapropter (3) tale bellum nunquam est licitum, nisi ubi iudex superior deficit, & status naturæ redit. In hoc enim omnes sunt æquales; Dn. Gundlingius *d. Effic. Met. c. 2. §. 1.* & inter se pares, nec ulli in ullum jus competit nedum Imperium. Unde colligitur, omne bellum, quod ab eo, qui in hac terra superiorem agnoscit, geritur, injustum esse. v. Kulpisius *d. l. p. 21. sb. 2.*

CONCLUSIO LXXXII.

Bellum gerens pro alio sibi non acquirit.

NON solum is bellum iuste gerit, cui id ad defensionem Juris est necessarium, sed & is, qui alteri opem fert, in recuperandis juribus ablatiis. Enimvero cum cuique Natura jus dederit tum in res tum in actiones suas; *pos. V. n. 2.* hinc quoque licita est de iis dispositio. *pos. VI.* Exceptio tantum est, si causa belligerantis notoriè sit injusta, quo casu assistentia non est permessa, quia Natura nemini jus concessit injusti-

justitiam defendendi. *pos. VII.* Quin alteri assistere maxime laudabile & insigne virtutis opus est. vid. Grotius *d. l. c. 5. §. 2.* Buddeus *Elem. phil. pract. p. 2. §. 2. c. 5. §. 17.* Verum assistens nihil sibi sed omnia ei, cui assistit, acquirit. Etenim (1) assistens bellum gerit non ex causa sui juris sed causam socii sequitur active & passive. Accedit (2) quod res hosti auferri & sic acquisitio fieri nequeat, nisi jure belli; quod solus habet is, cui assistitur. Imò (3) assistens saltem Principis belligerantis est instrumentum, quod non sibi sed causæ acquirit. Dn. Cocceji *cit. Diss. d. Diss. d. Jure tertii §. 3.* Adde (4) quod facultas bellandi non possit ad effectum traduci, nisi injuria actu sit illata. At verò hæc in hoc casu illata est non assistenti sed cui assistitur. Huic proinde soli acquisitio fit, quia huic soli jus oblatum, bello reparandum. Quod si autem plures sint bellorum socii, & quisque propriam gerat causam, tum quisque id, quod acquirit, sibi acquirit. *pos. V. n. 2.*

CONCLUSIO LXXXIII.

Sanctimonia Legatorum est ex ipso Jure Naturali.

Legatus hic est persona publica quæ à libero populo ad liberum populum mittitur, reipublicæ curandæ causa. Eorum inviolabilitatem Vir summus Grotius *d. l. 2. c. 18. §. 1.* ex Jure Gentium voluntario, quod vulgo appellatur secundarium, derivat, sed minus rectè. Nam cum sacrosancti Gentium Rectores Juri huic

huic secundario non obligentur sed solum Divinis legibus se obstrictos profiteantur, idque potius in suis terris abrogare, mutare, inque ejus locum aliud substituere queant, certè parum vel nihil securitatis inviolabilibus legatorum personis inde accedet. Quapropter ab alterius augustioris Juris reverentia legatorum sanctimonia erit deducenda. Scilicet dicendum est, inviolabilitatem legatorum inter ipsos bellorum strepitus & apud hostes ab ipso J. N. dependere, uti eleganter ostendit Celeberrimus Dn. Ramus, Jctus doctissimus, Consiliarius & Assessor meritissimus in *Disp. Juris de Jure Itinerantium §. 7.* Competit à Natura Principibus, &, qui par jus habent, legitima bellandi facultas. *pos. XIV.* Cum autem, quando horrendum illud occidendi vastandique jus in bellis licitum, in infinitum duraret, humana societas, quæ ejusmodi cruentam humani sanguinis effusionem in perpetuum non admittit, planè periret, adeoque cuique belligerantium parti natura liceat, imò ob conservationem societatis publicæ incumbat, oblata satisfactione paceque bellum finire, quo injuria desinat, amabilesque pacis aureæ fructus in rempublicam revertantur: necessario legatorum missio, cum sanctitate conjuncta, eodem jure liceat necesse est. Constituto à Natura jure belli & pacis, necessario medium ab illa apparet constitutum, quo finis obtineatur. *pos. IV. n. 4.* Et frustra cuique ad finem jus datur, cui media necessaria denegantur. Sed nec bellum finitur, nec pax initur, nisi vel satisfactio vel translatio vel juris remissio offeratur. Nullum eorum sine legatorum, pacis salutisque publicæ parariorum, inviolabilitate expediri potest. Juri ita-

itaque Gentium non secundario sed primario legatorum sanctimonia est adscribenda. perill. Coccejus *Diff. de Legat. Sanct. non impuni* c. 1. §. 9.

CONCLUSIO LXXXIV.

Legatus in loco delicti vel contractus & puniri & conveniri potest.

Gravissima sane & inter Dd. valde agitata, quæstio jam occurrit: An legatus à Principe, ad quem missus ex delicto vel contractu puniri queat? Antequam vero me ad resolutionem illius accingam, prænoto, me hic quærere, non quid in hoc casu conducat, sed quid liceat? non quid sit generositatis humanitatisque, sed quid præcisi juris? non quid à populis liberis alicubi sit factum, sed quid fieri potuerit? Equidem sat multi hanc quæstionem negando resolvunt. Et ne mihi cum turba res sit, dabo Dna, dissentientibus Advocatum, & quem potius quam Juris Naturalis restauratorem summum Grotium? qui *in d. c. 18. §. 4.* pronegativa militat. Verum salva auctoritate Grotii omniumque, qui Grotium sequuntur, existimo, quæstionem propositam simpliciter affirmandam esse. Id, ut demonstretur, certum est (1) summam in his terris potestatem originarie humano generi à Natura datam, terrisque divisam cuique societati particulari in suos cives concessam, eamque certis territoriorum finibus ac regionum circuitu circumscriptam esse. *pas. XIII.* Hinc jam evidenter sequitur, Imperium hocce mundi particulare fundatum esse in omnibus personis,

sonis, quæ illi subsunt, & quatenus ac quamdiu ei insunt; in omnibus actibus qui in eo fiunt, in omnibus denique rebus, quæ hoc terrarum spatium includuntur. Si quis ergo huic indubitanter demonstratæ potestati ac jurisdictioni sublimiori legatum, qui eam arctissime, ingrediendo territorium, concluditur, eximere velit, ei certe exacta incumbit probatio. Nam quod legatus Principis, ad quem mittitur, territorio inclusus, atque Imperium ipsum natura non hominum numero, sed terrarum regionumque terminis divisum sit, uti supra demonstratum, denique principis potestas in hoc terrarum spatium fundetur, & sic quoque legatus huic potestati subijciatur, ex dictis clarissime constat. At quod, cum omnes & res & personæ & actus, territorio comprehensi, hanc potestatem agnoscant, legatus eidem exemptus sit, non constat, & hinc dubio procul probandum. Neque enim probari debet, quod apparet, sed quod non apparet, de hoc lis est, de eo nullatenus. Talis probatio autem ex Jure duntaxat Naturæ, quippe quod solum summos Principes populorumque Rectores obligat, eorumque actionibus frenum injicit, instituenda. Neque vero (2) isthæc probatio hoc inducitur argumento: quod legati sint sancti & sic inviolabiles. Nam sanctus est, qui ab injuriis defenditur, non qui à juris executione immunitatem habet: non qui contra jus securus, sed qui contra injuriam: gaudet legatus securitate in sui favorem, non in alterius damnum: Neque Legati sanctimonia delictum excusat, neque legatus delinquens sacrosanctus, neque injuste agens, justus vocari per naturam poterit. Absurdum

dum omnino, legatorum sanctimoniam ad delicta extendere, & sic jus cum injuria commiscere. Sed & (3) sanctum idem est ac inviolabile, nihil autem violat, qui jus exequitur. Juris executio caret injuria, Quin (4) evidens est, in territorio non nisi unam esse summam potestatem, quia contradictionem involvit, summam absolutamque habere potestatem, & tamen aliquid, quod ea concluditur, illâ non comprehendi. Verum admissa Grotii sententia per ingressum legati absoluta Principis potestas minueretur, quod nemo cum ratione dicit. Ulterius (5) hoc singulare privilegium legatis ab ipsa Natura constitutum, non plus sanctitatis inferre potest, in bello & inter hostes, quam in pace & inter amicos, nimirum securitatem & incolunitatem. Tollit ergo talis sanctimonia jus belli, nimirum promiscuam sæviendi nocendique licentiam, non pacis, in qua delinquentes puniri possunt. Profectò (6) Ipse Princeps, in alieno territorio existens, privatus est, nec quicquam juris in eo absque læsione Imperii dare executioni potest. Ergo multò magis legatus, suum Principem representans, territorii, in quo degit & agit, potestati, tum quoad delicta tum quoad contractus subjectus esse debet. Uti hanc sententiam perill. Coccejus in Disputatione pererudita de *fundata in territorio &c. potestate tit. 2. §. 10.* & in alia de *Legato sancto non impuni cap. 2.* eleganter demonstrat dubiisque ibi plenariè respondet.

O

CON-

CONCLUSIO LXXXV.

*Proscriptus mitti legatus nequit ad eum,
qui illum proscriptis.*

PRinceps omnium in republica dignitatum, & qui eis sunt connexi honorum, fons est. Hinc quicquid in ejus territorio reperitur dignitatis, honoris ac præ eminentiæ à Principe solo resultat tanquam à causa & ex Principe tanquam ex fonte. Unde nullum restat dubium, quin liberrimo Principis arbitrio ac judicio subiaceat, qualitatem & jus legati committere, cuiunque velit. Nam & de se & de territorio suo disponit licitè & de juribus inde dependentibus, *pos. VI.* Mitteri itaque omnis potest legatus omnique legati dignitas & auctoritas committi, qui naturâ non impeditur, etiam Clericus, fœmina, &c. non furiosus, mente captus &c. Equidem an sit satis decorum, virilia & publica fœminis, secularia & civilia Clericis, gravissima tonsoribus obscurisque hominibus, & momenta Reipublicæ imperitis committi, alia & prudentiæ politicæ quæstio est, sed si de absoluto mittentis jure quærat, res caret dubio. Hæc decisio exceptionem patitur in proscripto, perduelle &c. utpote qui mitti nequeunt ad eum, à quo sunt proscripti. Etenim (1) illis tanquam delinquentibus sanctimonia legatorum competere non potest, quia inviolabilitas de Jure Gentium debetur sanctis non delinquentibus. Nec enim is sanctus dicitur, qui delinquit juraque transgreditur. Accedit (2) quod Princeps mittens eo ipso auctoritati

ritati Principis, ad quem talis missus est, detrahat, eique gravissimam injuriam inferat, dum ita ipsius Principis, qui ejusmodi legatum pro hoste & perduelle habet, judicium contemnit. Quade re (3) talis legatus à Principe, ad quem fit missio, summo jure puniri potest. Nam cum Princeps queat punire extraneum in suo territorio delinquentem, ut supra dixi, multò magis pœnas justè sumit à perduelle proscrip-
pto &c, ingrediendo & judicium & sententiam & Majestatem Principis spernentibus. conf. Dn. Cocceji *præalleg. Disp. de legat. sanct. c. 3. §. 8. 9. & 14.*

CONCLUSIO LXXXVI.

Jus legationis eum haud obligat, ad quem legatus missus non est.

JUS illud, quo Summus rerum Effector mundum perfectissimis rationibus gubernat, insignem sanctimoniam & inviolabilitatem Legatorum personis adjungit. Veruntamen illa lex eum duntaxat obligat, ad quem missa est legatio, docenre Grotio *d. c. 18. §. 5.* Hinc legatus ad tertium transiturus per territorium hostile hac securitate, à Jure Gentium indulta, non fruitur, sed ibi pro hoste haberi potest. Enimverò tum & ratio & principium inviolabilitatis cessat. Concessa nimirum est à Jure Naturæ legatis sanctimonia, quod aliter bellum inter partes ejus gerendi facultatem habentes componi nequit. At vero hic finis hoc casu planè deficit. Nam qui saltem per territorium hostis transit, cum hoc bellum non componit nec de pace tractat. Cessante igitur fine, cessant media, quæ ad il-

lum perducunt. Et uti concedens finem obligatur ad media: ita finem non promittens media denegat. *pos. IV. n. 4.* Quamobrem Dn. Coccejus *in cit. Disp. c. 3. §. 10.* Non, ait, obligat jus Gentium nisi eos, ad quos legatus mittitur, nec inter alios Jura legatorum esse posunt, quam inter quos est legatio.

CONCLUSIO LXXXVII.

Legatorum domus Jure asyli non gaudet.

Immota Juris primævi Gentium regula est, quod Principis potestas sese ad omnia territorio contenta extendat, eaque territorii limitibus concludatur, ut accuratissime demonstrat perill. Coccejus *d. fund. in terr. potest. tit. 2.* Ex quo conficitur, legatos jus asyli in domo sua pro quibusvis eò confugientibus non habere. Grotius *d. c. 18. §. 8.* Etenim (1) omnis sanctimonia omneque legati jus, in territorio ejus, ad quem mittitur, dependet ex concessione Principis, cujus potestatem territorialem, quamdiu intra territorii fines moratur, declinare is nequit, nec adeo delinquentibus in suis ædibus asylo scelerum impunitatem constituere. In primis (2) quia Jus inviolabilitatis ad legati personam & quos secum necessario habere debet, *pos. IV. n. 4.* restrictum, ad alios extendi non potest, quia hoc ipso concessionis tenor læderetur. Sed & si (3) ponamus, illis, qui ad legatorum domus ob maleficum confugiunt, jus asyli competere, ut certum est, non competere, eo ipso tamen delinquentibus nulla adveniet securitas. Enimvero (4) constituta sunt asyla, non ut sceleribus impunitatem concedant sed ut inno-

cen-

centibus securitatem contra vindictam privatam v. Ill. Dn. Sam. Cocceji *Diff. de Regim. Usurp.* §. 35. *ibique alleg. Grotium.* Et illa indulgent innocentibus præsidium non autem nocentibus auxilium: denique præstant sanctimoniam contra injurias non contra jus, vid. Myler *d. Stat. Imp. c. 15.* Rhetius *J. P. L. 2. t. 8. §. 1. 2.* Quin imò (5) nec ipse legatus quoad suam personam jure asyli contra delicta & crimina fruitur, ut supra explicatum, nedum alii, qui id ex legati persona eique connexa inviolabilitate derivare allaborant, illud obtinere queunt. Quo jure enim is, à quo agendi principium & facultas sumitur, plane destituitur, eodem caret omnis ille, qui jus ex eo deducere nititur.

CONCLUSIO LXXXVIII.

In bello defensivo, nec clarigatio, nec denunciatio requiritur.

Inter bellorum solennia præcipue sunt notanda, Clarigatio & Indictio. Illa est solennis & publica rerum aut cujusvis juris clarâ voce facta repetitio. Hæc belli intimatio, quæ & diffidatio, *Befehdung* / dicitur. Ergo Jure Naturali bellum justum non est, nisi alterutrum præcesserit, vel intimatio, vel clarigatio. Hæc illi, illa huic in eventum inest. Dn. Coccejus *Diff. de His, quæ præposterè fiunt, cap. 2. S. 3. §. 23.* Verum in bello defensivo neutra requiritur. Buddeus *d. l. c. 5. Sect. 4. §. 11.* Dn. Kestner *de J. N. c. 10. §. 6.* Nam (1) defensio nemini interdicta est ne quidem ipsis brutis. Accedit (2) bellum, quod actu jam cœpit, denunciari non posse, cum denunciatio sup-

supponat bellum gerendum, non quod revera jam geritur. Et denunciationis est finis, ut bellum, quod gesturi sumus, in notitiam hostis perveniat, qui hic deest, deficiente igitur fine, deficiunt media. Et uti frustraneum, explicare alteri mentis nostræ intentionem, quam satis is intelligit, ita vanum pariter indicare bellum, cujus sævitiam ac infortunium facto ipso experimur. Sed & (3) qui in bello se defendit, alteri non infert injuriam, sed illam tantum à se suisque amovet. Quin imò (4) bellum defensivum opponitur offensivo, in quo clarigatio vel denunciatio est necessaria, unde belli jus inter belligerantes sufficienter apparet. Denique (5) non est in arbitrio Principis, an velit subditos suos defendere, sed ad id stricto jure tenetur, quia ideo homines in societatem publicam coaluere, ut sint tuti & tranquillè rebus suis utantur. Ergo defensio subditorum ob non factam clarigationem haud tollitur, quia defensio præcisè est necessitatis, nec amplius latitudinem habet. Imò dignus commiseratione esset, qui ab hoste fulminanti invasus ferro, ante defensionem multo vocabulorum apparatu defendendi animum exponeret.

CONCLUSIO LXXXIX.

Stupra in fœminas hostiles J. N. sunt prohibita.

Vincendi in bello duæ rationes naturâ supersunt, aut vires hostium, quibus resistunt, infringendo aut nostras augendo vel firmando. Quicquid enim vires

vires hostium auget, id juris nostri vindicationem impedit. perill. Dn. Coccejus *Dissert. de Jure Victoriae* §. 17. Ex quo principio evidentissime elucet, omnem vincendi modum in bello esse illicitum, qui ab hisce abit finibus. Cum enim bellum sit remedium cruentum, quo respublica omni malorum calamitatumque genere ac complexu quasi inundatur, & status humanæ societatis ceu lue quadam ac peste contabescit, denique ipsi homines etiam innocentes terribilis gladii vim ac mucronis meticulosi immanitatem, bonis rebus ac juribus exuti, persentiscunt: non potest non extrema medii unici tantum necessitas & bellum & ejus processum excusare. *pos. IV. n. 4.* Quo nomine supra quoque in hostium fœminas neutiquam permiffa sunt. Grotius *d. J. B. & P. L. 3. c. 4. §. 19.* Siquidem (1) supra nec ad speciem armorum in bello necessariorum ullam, nec rationem vincendi hostem referri possunt. Inprimis (2) quia illis adhibitis, nec hostium vires minuuntur, nec nostræ augmentur, & hinc nulla ejus rei necessitas adest. Adde (3) quod illa potius belli rationibus directò contrarientur. Nam belli finis est juris ablati reparatio & pax. Tantum autem abest, ut supra reparent jus, ut potius injuriam manifestam inferant. Quippe ea Juri Naturali Divinæque voluntati plane sunt contraria & abominabilia. Hinc supra nec in bello licita esse possunt, cum J. N. ut supra inculcatum, tam ad belli quam pacis tempus pertineat, etsi omnem vim omnemque efficientiam eidem in bello auferat Hobbesius *de cive c. 5. a. 2.* Jus in statu naturæ meræ sola potentia corporisque robore, Dei perfectissimi & potentissimi perfectionem ac

im-

immutabilem iustitiam corradendo, definiens, sola-
que utilitate mensurans.

CONCLUSIO XC.

Vastatio templorum in bellis est illicita, nisi belli finis ac necessitas hanc exigat.

Bellum & quidem omne, ejusque processus, sola necessitate defendendi juris sui excusatur. Atque ita talis vel offensio vel defensio per vim tamdiu illicita est, quamdiu aliud remedium à Natura datum & constitutum appareat. *pos. IV. n. 4.* Unde jam certissimum est, vastationem tum demum in belli alea permissam esse, quando illa hostium vires verè minuuntur, & victoria jurisque repetitio alio medio obtineri nequit. Nulla in bello vastatio est licita, nisi quæ ad victoriam, & nulla victoria justa, nisi quæ ad jus nostrum obtinendum necessaria est. Dn. Coccejus *Disput. de Arm. Illicit.*, §. 17. Ex his suppositis fluit: templa, in solo hostili sita, de J. N. vastari soloque æquari non posse vid. tamen Grotium *d. L. 2. c. 5. §. 2.* Etenim (1) vastatio sacrorum nec hostium vires minuit, nec nostras auget, nec adeo quicquam ad victoriam confert. Ergo illorum vastatio hæctenus nulla necessitate excusari, nec ullo modo licita fieri poterit; Accedit (2) quod illa vastatione Deo, cui templa sunt consecrata, horrenda inferatur injuria eaque cum execrabili contemptu summi Numinis ac detestanda divini cultus profanatione sit conjuncta. In quam rem egregiè admodum edisserit perill. Coccejus *in Disp. de Evocat. Sacrorum Sect. 3. §. 4.*

Cum

Cum, inquit, cultus Deo vero & omnipotenti debitus, universalis & omnium hominum ac Gentium communis sit, omnes, etiam hostes, ad illum obligantur, nec sine summa Numinis injuria illa, quæ eò dedicata sunt, ab ullo hominum profanari & violari impune possunt; Hæc enim ubique divini juris & illius Dei sunt, qui omnibus & omnium æque Deus agnoscitur; qui colendus ab omnibus est, non profanandus: nec evocari à gente in gentem potest, cujus ubique Numen præsens esse fatemur: & cui proinde quicquid consecratum est, omnium gentium ac hostium quoque judicio sacrum est. Et quamvis (3) isthæc templa subinde cultui idololatrico sint destinata, id tamen vastandi impunem licentiam non suppeditat. Enimvero nullius hominis est potestas ac judicium de religione & rebus conscientiæ statuere; utpote de quibus solus Deus judicat, tanquam perfectissimus cordium renumque scrutator. Dn. Coccejus d. sect. 3. §. 17. At si in templis latitet hostis, vastatio eorum ob necessitatem mediæ est permissa; pos. IV. n. 4. conf. Buddeus in Select. J. N. & G. p. m. 286. §. 13.

CONCLUSIO XCI.

Locus pacati potest occupari, si certò de secutura hostis occupatione constet.

Solus hostis in bello ad reparationem Juris ablati est obligatus. Hinc J. N. in belli alea tantum capi vastarique potest, quod hostis est. Grotius d. L. 3. c. 6. §. 5. Neque enim tertius ita nobis injuriam intulit, neque

P

adeo

adeo belli jus, illatam injuriam supponens, in eum locum habet: neque jure, quod ei in res suas competit *pos. V. n. 2.* privandus est, quia terminos facultatis concessæ nondum excedit. *pos. VII.* Hæc regula exceptionem patitur, quando hostis noster locum, ad pacatum pertinentem, occupaturus est, illudque certissime constet, nec de eventu ob loci infirmitatem dubitari queat, quo casu is præoccupari potest. Quandoquidem (1) nihil interest, an locum hostis jam ceperit, an certo sit occupaturus, cum morali æstimatione non amplius sit in potestate pacati amicieque, facultate defendendi sublata. Hinc (2) is jure præoccupari poterit, quia damnum pacato non infligitur in re æque peritura. vid. *L. 7. §. 4. ff. quod vi aut clam.* Enimverò pacato nihil auferitur, quàm jus hostile, & in locum, qui præripitur, nil juris acquiritur, quam quod ipse hostis intendit. Licita proinde ejus est occupatio, quia illa vires hostium minuuntur, & nostræ augentur. Multo magis (3) locum hosti auferre licet, quem is pacato actu & facto jam eripuit, & in possessione tēnet: tum quia bello in potestatem hostis pervenit, cujus res licite capiuntur, & captæ victoris sunt: tum quia pacatus judicare nequit de lite inter hostes, sed tanquam medius utriusque factum probare, debet. Nam explere judicis officium, involvit potestatem in eum, de quo judicatur, & frustra mihi leges præscribit, cujus ego mandata evomere possum. Atqui vero belligerantes nullius hominis sed Dei judicium expectant. Igitur pacati sententia continet vocabula, a judice incompetente constructa. Et quamvis (4) pacatus alleget, sibi locum ab hoste injuria esse ablatum,

latum, injuriam autem reparandam, & se hoc loco non posse citra suam culpam privari, ejus tamen judicium querelasque tertius non sequitur nec advertit, sed dum hosti illum abstulit, omne factum pro jure habet consule Dn. Cocceji *Diss. de Jure belli in Amicos* §. 39.

CONCLUSIO XCII.

Captus in bello, si potest, rectè fugit, non deditus.

IN martis alea vi captus potestati capientis subicitur. Sed quod capturam, ab hoste factam, pro summa habet injuria, hinc si fugiendi aperitur occasio, rectè fugit. vid. Grotius *d. l. 3. c. 7. §. 6.* Nam judicium hostis capientis non durat, nisi quousque captus sit in ipsius potestate. Frustra hostis capiens vi capto leges constituit eumque judicat, quem nec tenet nec videt. Hinc si revertendi facultas datur, hostis potestati eximitur, & judicium suæ civitatis, quæ illum injustè captum dicit, sequitur. Inde Pufendorfius *d. J. N. & G. L. 3. c. 2. §. 25.* bene ait: *Ubi illud quam maxime equitati naturali congruere arbitramur ut per bellum capti, ubi manus hostium quocunque modo evaserint, neque illis fide data sint obstricti, atque ad suos redierint, non modo pristinum statum, sed & omnia bona sua ac jura recuperent.* Verum si fugiens è fuga retrahatur, hostis est hosti, & sic mores discere debet. Alia tamen ratio est ejus, qui se dedit. Hic enim contra proprium factum fidemque datam fugere nequit. Et si fugam capessens ad suos redeat, postliminii jure haud fruitur

sed pro transfuga habendus, cum per ultroneam deditio-
nem iudicium suæ civitatis, vi capto hætenus
salvum, deserit. Ex tali enim deditio-
nis facto hosti jus quæritur. *pos. VI.* Quæ secus sunt, quando popu-
lus liber, bellum gerens, locum vel personam hosti
dedit. Tum enim proprio facto deditio facta non est,
nec populus aliud quam publicum jus transferre potuit.
pos. VI. Ergo talis deditus se hosti eximere valet, per-
inde ac si captus esset: quia per deditio-
nem populi jus ipsi privatum non fuit ademptum. *pos. V. n. 3.* Inter-
ea populus dedens eum revertentem nequit recipere.
Tam grave fides data humanis actionibus vinculum in-
jicit, ut id nullam admittat exemptionem, & tam seve-
rè voluntas Creatoris ad fidem semel explicatam ser-
vandam homines constringit, ut ei injuriam faciant
contravenientes. adde perill. Dn. Cocceji *Disp. d. post-
lim. in pace Sect. 2. pass.*

CONCLUSIO XCIII.

*Induciis finitis jus belli & captura ho-
stium indistinctè incipit.*

Sicuti obligatio induciarum incipit à tempore pacti
inter contrahentes, etsi inter subditos demum ex
tempore publicationis, antequam de illis nequit con-
stare: ita vicissim termino induciarum elapso Jus belli
invenit locum & recedit. *pos. VI.* Ex quo fluit: eos qui
in solo hostili morbo, tempestate aut simili casu deti-
nentur & impediuntur, quo minus ad suos reverti
queant, ab hoste capi & sic in solo hostili detineri posse.
conf.

conf. Grotius *d. L. 3. c. 21. §. 3.* quem citat & sequitur Puffendorfius *d. L. 8. c. 7. §. 6. & 11.* Quandoquidem (1) præterlapsis induciis jus hostile redit, atque ita captura licet, uti ante pactas inducias ea licuit. Accedit (2) quod vi juris bellici possint rapi & deduci ex solo hostili, multò magis itaque in proprio detineri. Et quod jus tam laxum est, ut competat in alieno, certe etiam licebit in proprio. E quamvis (3) aliquis opinetur, nullam hic esse culpam ejus, qui ita retinetur, huic dico, jus hoc haud nasci ex culpa ita retenti sed ex indole & natura belli, quod facultatem tribuit sæviendi in hostem, quoad jus nostrum nec in tuto, nec nobis satisfactum est pro illata injuria. Atque hoc factum belli finis, & quæ ad hunc ducunt, media excusant: utpote quæ in naturali materia ex fine certo Jus accipiunt.

CONCLUSIO XCIV.

Commeatus continet itum & reditum non transitus.

Commeatus hic est legitima facultas libere invicem commeandi, rebus & personis data: vulgo *passus* und *repassus*. Hoc concessio continentur omnia, sine quibus illud jus honestè & commode expediri nequit, *pos. IV. n. 4.* Hinc jam sequitur sub commeatu non solum itum sed & reditum contineri. Enimvero (1) & itus & reditus sub uno actu comprehenduntur, cum tamdiu quis esse in itinere credatur, usquedum illud plene absolverit, & ad suos reversus sit. Adde (2) quod nemo possit ire tuto, si cui revertendi facultas

adimitur, atque ita commeatus in vanum esset constitutus. In primis (3) quia securitas, tanquam finis concessi commeatus, hoc modo non impetratur. Utrum enim quis in itu an in reditu capiatur, morali æstimatione parvam admittet differentiam vel certe nullam. At (4) illa procedunt aliter in transitu, qui alterutrum dumtaxat continet, alias bis transiret contra tenorem pacti, *pos. VI. & VII.* Inde Grotius *d. L. 3. c. 21. §. 16.* dicit: *In itu cautum & de reditu censetur & deinde: At cui abire datum non & redire.*

CONCLUSIO XCV.

Medii in bello utriusque belligerantis factum pro iure habent.

Bellum est decertatio per vim. Et cum disceptatio omnis absolvatur contradictione: quia quamdiu nemo mihi contradicit, omne, quod ago, licitè ago. *pos. I.* hinc unaquæque pars in bello sicuti in judiciis privatis contendit, se omnia agere justè, adversarium injustè, sua arma esse legitima, alterius illegitima. Neque enim quisquam est tam barbarus, ut facta sua justitiæ prætextu tegere nequeat. Colligit unusquisque argumenta per quam plurima: evulgat causas justificas: palam profert, explicat, exprimitque & omnibus audientibus ac legentibus anxie persuadere conatur, se causam habere justissimam, adversarium suum injustissimam. Elucet, Semotà etiam experientiâ, hujus veritas ex natura contentionis. Nam dum unus dicit justitiam causæ à sua tantum parte esse, simul asse-

asserit à parte adversarii non esse. In contradictoriis utraque sententia simul vera esse nequit. Enimvero non potest id vocari justum, quod est injustum: nec virtus, quod est vitium. Hoc judicium partis valet tantum intra ejus & sociorum amicorumque, qui communem causam habent & judicium partis belligerantis activè & passivè sequuntur, fines. Ex quo patet illos, qui in bello sunt medii & vulgo neutrales appellantur, utriusque factum disceptationem armorum & quicquid quæque pars agit, pro jure habere non pro injuria, atque ita nec iis judicium super causa competere. Siquidem (1) medii non sunt belligerantium judices, nec in eos ullum sibi arrogare Imperium queunt. In primis (2) quia illi, qui alterius Imperio vel jurisdictioni subsunt, jure belli gerendi destituuntur, ut supra docui: Sed nec (3) de injustitia partium cognoscere & statuere possunt neutrales, quia illis non imperant, nec partes decretis mediorum teneri, quia his non parent. Omne autem judicium valiturum à parte judicantis supponit potestatem in judicandum, & à parte hujus obsequium, judicanti debitum. Adde (4) quod medii eo ipso, quo alterius factum probarent vel improbarent, judicium hostis sequerentur & medii esse desinerent. Hinc Dn. Coccejus in *Disp. de postlim. in pace sect. 1. §. 4.* eleganter ait: *E contrariis reliqui populi, qui neutri partium addicti sunt, quicquid utrinque in bello fit, pro jure habent, nihilque, quod armis ab utraque parte agitur, pro injuria: Neque enim cognoscere aut statuere de injustitia partium jure possunt, qui earum judices non sunt, neque partes, que judicem non habent, injuria ab aliis convinci vel*

con-

condemnari. Necessariò igitur utriusque partis factum, quod vi armorum peragitur apud omnes reliquas gentes pro jure erit. Ea autem, quæ sunt juris gentium, ut transitus, & quæ sub eo comprehenduntur; pos. IV. n. 4. utrique parti sunt præstanda, nihil uni soli, vid. Grotius d. L. 3. c. 17. §. 3.

CONCLUSIO XCVI.

Bellum finitur vel pace vel ultimâ victoriâ.

Non conducit bellum geri in infinitum. Nam dicente Coccejo, Viro incomparabili in *Diff. d. Repræsent. Legat. Qualit. tb. 1. Horrendum sanè vulnus naturali, quæ inter homines est, societati bello infligitur; quo illa stragibus fatiscit, cædibus squalet, in odia, vastitates, quin in feritatem propè dissolvitur. Quorsum collimat summus Grotius d. L. 3. c. 25. §. 2. Ferinum inquit, quiddam vis est: quæ in bello maximè eminet: quò diligentius curandum est, ut humanitate temperetur, ne nimium feras imitando dediscamus hominem. Incumbit proinde belligerantibus naturâ, ut bellum finiant, quod fit vel pace vel ultima victoria. Nam sicuti inter privatos lis non dirimitur, nisi vel transactione vel sententia definitiva: ita inter summas terrarum potestates bellum non prius componitur, nisi vel pax vel ultima intervenerit victoria. Illâ transigitur de ipso negotio, ob quod erat bellum: Hac pars victa potestati victoris ita subjicitur, ut resistere amplius ac lædere nequeat. Ex quo palam fit, bel-*

bellum iustitia suâ non carere, quantumvis læsus ex prædisteraque hostili tantum ceperit, quantum sibi abestisque suo minus tenet. Neque enim restitutio juris prius, quam res in eum statum, in quo erat ante læsionem, sit perducta, fingi nedum esse: neque, quamdiu periculum, ut id, quod captum est, ab hoste repetatur, durat, Dominus rebus suis uti tranquille potest. Ergo ante pacem vel ultimam victoriam bellum in infinitum recte geritur, quia hætenus hostis, contra quem bellum est licitum, esse nondum desit. Dn. Cocceji *Disp. de Jure Victor. §. 23.*

CONCLUSIO XCVII.

Victor captivitate neque in vitam capti, neque in res, nisi simul captas, jus acquirit.

Cedit potestati victoris omne id, quod bello capitur, sive sint hostium res sive personæ. Illæ liberrimo vincentis arbitrio subjacent: Hæ autem subesse nequeunt, nisi quoad operas, quas victori exhibere possunt & tenentur; *pos. V. n. 2.* ita tamen ut is ad alimenta, sine quibus illæ præstari nequeunt, obstringatur. *pos. IV. n. 4.* Unde colligitur de J. N. per hanc captivam victori nullatenus acquiri jus in vitam ipsius capti. vid. Grotius *d. L. 3. c. 7. §. 3.* Enimverò (1) ipse captus jure vitæ & necis destituitur. *pos. V. n. 3.* & hinc per victoriam id in vincentem transferre nequit. *pos. VI.* Accedit (2) quod interfectio in bello excusatur sola
necef-

necessitate medii unici, quæ in capto, resistere non valente, penitus cessat, consequenter ipsa occisio. Illicitum enim est medium omne, quo finem, qui non est permissus, obtinere allaboro. Adde (3) quod facultas trucidandi Deo soli, & cui eam vis voluit concessam, competat. *pos. III.* At vero illa non nisi summæ potestati, seu Dei Vicario, collata est. *pos. XIII.* Ergo alii competere nequit. Quod quis non habet nisi ex concessione, id nequit exercere, nisi prius esse concessum probetur. Et cum (4) nullum jus dici capientis queat, quod is haud tenet; hinc facile sequitur, victori in res capti nihil juris acquiri, si non simul illæ captæ sint: tum quia quod non est captum, non potest dici in potestate esse ac dispositione, tum quia res in civitate relicta sequuntur ejus judicium. At hæc civem suum injuria captum esse dicit; qua de re res simul capti, quas hostis non tenet, civitatis, ex qua is captus est, judicium sequitur, nec capta dici potest.

CONCLUSIO XCVIII.

Strategemata in bellis J. N. sunt licita.

Vis in bello omnis defenditur sola necessitate. Quoties ergo illa definit esse necessaria, toties quoque definit esse licita. Et cum multo sit præstantius, hostem vincere prudentia, dolo ac calliditate, quam multorum hominum sanguine profuso, civitatibus & regionibus vastatis, incendioque absumptis: turpior hoc modo vin-

vincendi ratio videtur, Jureque Naturali illicita. Inde jam sequitur, illud armorum genus, quo hostis non aperta vi, sed consilio dolo ac prudentiâ superatur, quodque strategematis vocabulo designant, in bello non permissum modo sed ab ipsa Natura injunctum commendatumque esse. Quandoquidem (1) hic vincendi modus minus habet periculum illo, quo hostis vi ac corporis robore subigitur. Cum autem Natura permittit id, quod est majus, durius ac gravius, exinde certissimum fit, eam permittere, quod est lenius, mitius ac tutius; Præsertim cum utroque casu idem obtineatur finis. Accedit (2) quod tale vincendi genus sit akerò honestius ac gloriosius. Vis brutis est communis, quin ea parte bruta homines immensum sæpe superant, ingenium autem homini proprium, quo solo ipse ante bruta est. Ergo dolo in hostem uti omnino licet. conf. Grotius *d. L. 3. c. 1. §. 6. &c.* & Dn. Cocceji *Disp. de Armis Illicit* §. 72. & seqq. add. Kulpifii *Colleg. Grotian. p. m. 38. th. 2.*

CONCLUSIO XCIX.

Jus Naturæ à virtute probè est separandum.

SANCTISSIMUS Creator hominibus potentiam & rerum & actionum benignissime concessit, *pos. I. & V.* non solum ut illis pro lubitu uti deque iis disponere, in quo natura dominii vertitur *L. 21. C. mandat.* sed ut perfecte utendo illis mereri quoque possent, quæ perfectio nomine virtutis venit & in affectione animi consistit,

Q₂

sistit. Hinc (1) virtus occupatur circa ea, quæ à
 Natura nobis sunt concessa; Justitia circa aliena. In
 nostris meremur, si velimus, in alienis ne quidem,
 si vellemus. Et (2) quod agitur injustè, sua natura
 nullum est, nec ullos producit effectus, sed quatenus
 alterius læditur jus, reparatio ejus requiritur. At
 quod contra virtutem fit, non est injustum sed vitiosum
 & subsistit hæcenus reparationeque caret. Ita si tu
 mihi centum furto auferis, injustè agis, nec ullum in-
 de juris effectum producere vales, sed ad restituend-
 um id, quod abstulisti, obligaris. *pos. VII.* Econtra-
 rio si tu sis avarus & pauperibus nihil des, non possunt
 tibi ea propter bona auferri, quia tu egenis ex syngra-
 pha non es obstrictus, & si tu sis prodigus, ethice ta-
 lis, ac patrimonium tuum sensim sine sensu inter pro-
 ximos tuos distribuas, obligatio ad reparandum resti-
 tuendumque non adest, quia de tuo, ut lubet, dispo-
 nis, & prout disponis, ita jus est. *pos. VI.* Sed & (3)
 Justitia nihil meretur sed pœnas evitat: Virtus omni-
 no, ut dicitur in conclusione sequenti, meritum pro-
 ducit. Et cum hoc virtutis perfectionisque præmium
 in hac vita raro sequatur, in alta perfectiori vita com-
 pensatio ejus fiat, necesse est. Imò sapientissimus ho-
 minum Effector, qua est perfectione, pensationem
 meritorum perfectam alteri vitæ reservavit, quia an-
 tequam homines actionum, quibus merentur, finem
 morte fecerint, earumque adeo mensuram impleve-
 rint, ea plenissime fieri nequit. confer Illustris Dn. Sam.
 Cocceji *tract. prælaud. d. princip. J. N. p. 1. Q. 4. passim.*
 & *Comment. ad pos. XL.*

CON-

CONCLUSIO C.

Homo merè justus nihil meretur, at omnino virtuosus, & hinc sunt & natura apparent gradus eterne tum felicitatis tum infelicitatis.

Differt à Jure virtutis notio. *pōj. XV.* Illius unica norma & principium est Dei voluntas: Hujus Dei perfectio. Eo igitur propius quis ad Deum accedit, quo perfectius quid agit: eoque gravior est Deo præmiisque ejus dignior, quo magis quis virtutem exercet. Homo merè justus præmia felicitatis frustra expectat, quia non suo arbitrio motuque ultroneo sed ex necessitate præcepti agit, nec legem sibi præscriptam servat ductus perfectione, sed metu pœnæ. Id ipse Servator, os veritatis nobis velut digito commonstrat: Ita namque *Luc. 17. v. 10.* dicitur. *Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Idem & ex aliis Sacræ Scripturæ locis apparet. Ex adverso virtuosus perfectioni, Summi Creatoris ideæ, studens, præmiis certo afficitur certius. Distinguit dubio procul Deus, ceu ens perfectissimum, vitia à virtutibus & absque notoria imperfectione, à Deo ejusque Natura penitus remota, virtutes & vitia eodem pensari nequeunt præmio. Est scilicet dispensatoris perfectissimi, humanas actiones merito suo accuratè metiri, & cuique virtuti non minus quam vitio pro-

propriam assignare meritum. Quæ veritas, si ex dictis irrefragabiliter non constaret, certe nos Christianos de eo dubitare immota sanctissimi Oraculi veritas non sinit. Exprimi t id ipsum Apostolus 1. ad Corinth. 3. v. 8. ibi: *unusquisque tamen suam mercedem accipiet juxta suum laborem.* Et 2. ad Cor. 9. v. 6. verbis: *Qui serit parçè is parçè etiam metet, & qui serit benignè, benignè etiam metet.* Porro ad Rom. 2. v. 6. vocibus: *Qui redditurus est cuique juxta facta sua.* Quin & ipse Servator nobis illud ob oculos ponit exemplo adolescentis *Matth. c. 19. v. 16. &c.* & cum primis v. 2. ibi; *& da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo;* aliisque verbi divini locis. Virtutes autem & vitia suos habent gradus, alterque altero vel virtuosior vel vitiosior, hinc necessariò, præmiorum tum bonorum tum malorum gradus sint, requiritur. Hosce ut natura accuratè æstimet, ego ita sentio: Certas pœnas esse destinadas injustis: certas præmia virtuosis: certas denique præmiorum privationes vitiosis. Nam homo merè justus pœnam ex legis transgressione resultantem, *Rom. 4. v. 15.* non patitur, quia legem servavit, nec præmia consequitur, quia justus, præmio carens, pœnas tantum evitat. Ergo datur tertium. Atque ita verissimè dantur gradus & pœnarum & præmiorum, &, quæ his opponuntur, privationum. Hinc necessariò habet (1) *Quisque injuriæ gradus suum gradum pœnæ;* (2) *Quisque gradus virtutum suum gradum præmii;* (3) *Quisque gradus vitiorum suum gradum privationis præmii.* Quæ taxatio ex Natura Creatoris perfectissimi, *pos. IV. n. 5.* fluit, &

ne-

negari haud potest, nisi quis perfectissimæ huic Naturæ imperfectionem attribuere scelusque in Supremum Numen committere velit abominabile, id quod nos Christiani, utinam omnes! merito abominamur.

SOLI DEO ET JUSTISSIMO ET PERFECTISSIMO GLORIA.



INDEX

INDEX

Prior numerus paginam, alter conclusionem designat.

Alienigenæ.

Non obligantur Legi hebraicæ. 12. IX.

Asylum.

Est locus sanctus non tamen impunis. 100. LXXXVII.

Assistens.

In bello sibi non acquirit. 92. LXXXII.

Bellum.

Exitus belli sequitur Justitiam causæ. 5. III. Illud omne proprie est defensivum. 90. LXXX. privatum extra naturæ statum est illicitum. 91. LXXXI. Id gerens sibi soli acquirit. 92. LXXXII. In defensivo non requiritur Clarigatio. 101. LXXXVIII. Stupra in illis sunt illicita. 102. LXXXIX. & vastationes templorum. 104. XC. Non strategemata. 114. XCVIII. Induciis finitis bellum iterum incipit. 108. XCIII. Ut finiat. 112. XCVI. Bello acquisita cedunt coronæ. 71. LXIV.

Captus.

In bello rectè fugit. 107. XCII. quid captivitate in captivum transferat. 113. XCVII.

Causa debendi.

J. N. requiritur ad obligationem. 51. XLV.

Christus.

Non fuit LLtor sed Doctor Ecclesiæ 10. VIII. ipsius adventus fuit necessarius. 9. VI

Civis

INDEX.

Civis.

Duobus in locis quis esse potest. 37. XXXII.

Cogitatio

Ejus pœnam nemo subire cogitur. 55. XLIX.

Commeatus.

Continet itum & reditum. 109. XCIV.

Decima.

Debentur non J. N. sed positivo. 14. XI.

Deditus.

In bello non recte fugit. 107. XCII. limitatio *ibid.*

Defensio.

Nemini ademta. 29. XXIII. quando incipiat? 30. XXIV. pudicitiae jam amissae illicita. 31. XXV. rerum aequè ac vitae permessa. 32. XXVI.

Deus.

Est Autor J. N. 1. I. nequit mutare J. N. 2. II. curat negotia humana. 4. III. est iudex Principum & in bello. *ibid.* & causa omnium, quæ sunt. *d. l.* homini defensionem sui injunxit. 29. XXIII. cur virtuosos demum in futura vita præmio afficiat? 116. XCIX.

Dignitas.

J. N. non transit ad hæredes. 36. XXXI.

Divortia.

J. N. non adversantur. 43. XXXVII.

Dominium.

Competit infantibus & furiosis. 20. XVII. plenum sine traditione non transfertur. 22. XVIII. Dominium eminens malè vocatur Imperium. 62. LV.

R

Duel-

Duellum.

J. N. prohibitum, 33. XXVII. limitatio *ibid.*
Educatio.

Incipit in utero & pubertate finitur. 38. XXXIII.

Finis.

J. N. facit, si est unicus, 88. LXXVIII. quoties illicitus, toties media prohibita, quæ ad eum ducunt, 91. LXXXI frustra datur, cui media necessaria denegantur. 94. LXXXIII, est intentio ipsius, agentis. 41. XXXV.

Fœdus.

Valet quoque cum infidelibus. 57. L. antiquius recentiori præfertur. 58. LI. fœdere violato, ipsum fœdus non tollitur. 59. LII. Id cum Rege initum obligat quoque successorem. 60. LIII.

Fœmina.

In regnis J. N. non succedunt. 80. LXXII, limitatio. 21. LXXIII.

Fürstenerius.

Ejus Suprematus refutatur. 66. LIX.

Genus.

Continet omnes species, 50. XLIII.

Gemelli.

Ambo succedunt, si de primogenito non constet. 77. LXIX.

Gradus felicitatis.

Præmiõrum tum bonorum tum malorum gradus sunt futuri. 117. C, ut horum fiat taxatio. *ibid.*

Ho

Homo.

Agit ante prohibitionem omnia licite 9. VII. vitam suam defendere tenetur. 25. XXIII. mere justus nihil meretur. 117. C.

Inducia.

His finitis statim bellum incipit. 108. XCIII.

Infans.

Est capax domini. 20. XVII.

Impensa.

Cuique restituendæ. 53. XLVII.

Imperium.

Male appellatur dominium eminens. 62. LV. ad populum redit, mortua linea regali. 69. LXII. omne natura est electivum. 70. LXIII. Finis ejus ultimus est administratio justitiæ. *ibid.* &c. natura datum est toti hominum societati, & terris divisis, cuique societati particulari in suos cives. 67. LX. 95. LXXXIV.

Judicia.

Sunt ab ipsa Natura. 61. LIV.

Juramentum.

Generale omnes complectitur species. 50. XLIII. J. N. non probat. 51. XLIV. limitatio. *ibid.*

Jus.

Nostrium ut tollatur. 52. XLVI.

Jus Natura.

Non est sine Deo 1. I. ejus principium voluntas Dei. 2. I. est immutabile. 2. II. & obligat etiam in bello & summos principes. 3. III. non est dictamen rectæ rationis. 6. IV. non probatur consensu gentium. 7. V. non sufficit ad salutem. 8. VI. differt à virtute 115. XCIX.

INDEX.

Legatus.

Hujus sanctimonia est ex J. N. 93. LXXXIII. puniri potest in loco contractus & delicti. 95. LXXXIV. proscriptus &c. mitti nequit 98. LXXXV. ejus jus strictissime interpretandum. 99. LXXXVI. & domus jure asyli non gaudet. 100. LXXXVII.

Lex.

Permittit, quæ non prohibet. 9. VII. Mosaica non obligat alienigenas. 11. IX. de esu sanguinis est positiva. 13. X. ut & de decimis. 14. XI.

Liberi.

Consensu parentum ad nuptias J. N. non habent opus. 44. XXXVIII. illegitimi J. N. non succedunt. 46. XL.

Libertas.

Dispositione transferri potest. 47. XLI.

Magistratus.

Habet jus puniendi non privatus. 55. XLVIII.

Majestas.

Realis & personalis rejicitur. 67. LXI.

Mare.

Potest occupari. 16. XII. non intelligitur occupatum, terra occupatâ 17. XIII.

Maritus.

J. N. alere uxorem non tenetur. 42. XXXVI.

Media.

J. N. licita, quæ ad finem perducunt 17. XIV. ex fine accipiunt affirmationem intrinsicam. 91. LXXXI. 109. XCIII.

Neutrales.

Factam utriusque belligerantis pro jure habent. 110. XCV.

Occupatio bellica.

Subjicit quod hostis est. 107. XCI. An & locum pacati? *ibid.*

Obligatio.

Incipit ubi definit libertas. 52. XLV. supponit voluntatem ejus, qui obligari debet. *d. l.* *Paca.*

Pacatus.

Ipsius urbes &c. in bello an capi queant? 105. XCL

Parentes.

Horum consensus J. N. ad nuptias liberorum non requiritur. 44. XXXVIII.

Partus.

Naturaliter matrem non patrem sequitur. 45. XXXIX.

Permissio.

Est legis actio. 9. VII.

Pena.

Supponit legis transgressionem. 55. XLIX. non datur in cogitationes. *d. l.*

Polygamia.

Virilis non est contra J. N. at omnino foeminea. 39. XXXIV.

Populus.

Recipit Imperium, linea Regis electi extinctâ. 69. LXII.

Possessor.

Privata Possessioe sua, defendendi facultate sublata. 23. XIX. in possessione manutenendus. 26. XXI.

Potestas summa.

Regia & patria differunt. 63. LVI. summa potestas J. N. malè tribuitur potentiori. 64. LVII. manet ea summa, etsi par sit. 65. LVIII. exercetur pace vel bello. *ibidem.* à nuda administratione distincta. 66. LIX. distinguitur finibus terrarum. 67. LX.

Præscriptio immemorialis.

Est J. N. & se ad omnia extendit. 25. XXI.

Princeps.

J. N. obligatur. 3. III. est vicarius Dei. *ibid.* non obstringitur J. G. Secundario. 8. V. Venationes sibi soli rectè vindicat. 24. XX. subditis jus auferre potest ex duabus causis. 25. XXI. ea, quæ acquirit, reipublicæ acquirit. 71. LXIV. regnum alienare nequit. 71. LXV. limitatio. *ibid.* Principum ordo sumitur à tempore. 72. LXVI. privilegia regulariter revocare nequit. 84. LXXV. ejus factum sub-

INDEX.

citi præstant. 87. LXXVIII. non tamen in infinitum. *ibid.* est fons
omnium dignitatum in republica. 98. LXXXV.

Promissio.

Sine causa J. N. non obligat. 51. XLV.

Pudicitia.

Defendi potest. 31. XXV. non si jam amissa. d. l.

Punitio.

Competit soli Magistratui. 55. XLVIII.

Rex.

Succederem an designet? distinguitur. 82. LXXIV. adde voc
PRINCEPS.

Regnum.

Defunctus filio impuberi in regno tutorem dare nequit. 86. LXXXVII.
confer vocab. SUCCESSIONE.

Res.

Cuique sua est restituenda. 53. XLVII.

Sanguis.

Præceptum de esu sanguinis non est morale. 13. X.

Servitus.

J. N. incognita. 45. XXXIX.

Silentium.

J. N. caret juris efficientia. 28. XXII. limitatio *ibid.*

Sodomia.

J. N. adversatur. 40. XXXV.

Stupra.

In bellis prohibita. 102. LXXXIX.

Subditus.

Principis sui factum præstat. 87. LXXVIII.

Successor.

Regis ex foedere obligatur. 60. LIII.

Successio.

Liberorum est J. N. 46. XL. Regnorum non datur. 74. LXVII.

INDEX.

ea posita, soli descendentes admittuntur. 75. LXVIII. & quidem primogenitus solus. 76. LXIX. gemelli ambo succedunt. *ibid.* is succedit, etsi ante dignitatem natus. 77. LXX. & præfertur patruo 78. LXXI. Foeminae ejus sunt regulariter incapaces. 80. LXXII. limitatio. 81. LXXIII.

Suffragium.

In suffragiis ferendis præsentium numerus inspicitur. 35. XXX. limitatio *ibid.*

Suprematus.

Fürstenerii rejicitur. 66. LIX.

Templum.

In bellis vastari nequit. 104. XC. limitatio *ibid.*

Tempus.

Solum caret juris efficientia. 25. XXI. Immemoriale tribuit dominium. *ibid.* decedit Regum ordinem, 72. LXVI. est vel belli vel pacis. 89. LXXIX.

Transitus.

Est J.N. 17. XIV. transiens domino territorii indicare non tenetur. 19. XV. transitus impediri potest metu belli. 20. XVI. in bello continetur non feditum, 109. XCIV.

Tutela.

Regni cui competat. 86. LXXVII.

Usurae.

J.N. non adversantur. 48. XLII.

Uxor.

Non est J.N. a marito alenda. 42. XXXVI.

Victor.

Succedit & in præcedentiam. 72. LXVI. quid captivitate acquirat? 113. XCVII.

Virtus.

Ejus omissio caret poena. 55. XLIX. à J.N. distincta. 115. XCIX. producit præmium. 117. C.

F I N I S.

ER-

ERRATA EXSTANTIORA

Autori absenti neutiquam imputanda.

PAg. 2. lin. 9. post voc. *ſcrus*, pone *Dn. S. Coccejus*. & l. 23. pro *perfectio-*
nem lege imperfectioem. p. 3. l. 14. pro posteriori *est* l. *Et*. p. 4. l. 20. pro
aterna l. aeternam. p. 5. l. I. post verb. *illa* adde *cum illa*. p. 7. l. 8. pro *celeberrimo*
l. celeberrimo. & l. 24. pro *illa* pone *alia*. p. 8. l. 24. pro *sufficiens l. sufficiens*.
p. II. l. 6. pro *jaluss l. salutis*. & l. 7. pro *faciendum l. faciendum*. p. 23. l. II.
pro *perpetnam l. perpetuum*, p. 24. l. 21. pro *Befol. l. Refol.* & l. 26. pro *ob-*
ducti l. abducti. p. 35. l. 6. pro *remanere l. rem manere*. & l. II. pro *aquilibro*
l. aquilibrio. p. 36. l. 23. pro *haut l. haud*. p. 37. l. pen. pro *dispnendi l. dispo-*
nendi. p. 39. l. II. pro *maturitatem l. immaturitatem*. p. 40. l. 9. pro *statum*
l. statuum. p. 42. l. I. pro *ſcivi l. ſcive*. & l. 3. pro *cap. l. cap.* p. 44. l. 15. pro
impeditè l. impedire. p. 47. l. 4. pro *juxta p. iusta* & l. 5. pro *fortiri l. fortiri*.
& l. 6. pro *contradiſtorium l. contradictorium*. p. 48. l. 15. pro *jure l. juri*. p. 51.
l. 3. ant. voc. *redditur* adde *certum*. p. 51. l. 10. pro *ſimiium l. ſimilium*. p. 52.
l. 5. pro *ſactam l. factam*. p. 59. l. I. pro *inito l. initio*. & l. 20. pro *ſentia l.*
ſententia. p. 60. l. 14. pro *ſuderis l. ſudus*. p. 64. l. 15. ant. voc. *confiſat* po-
ne *anima*. p. 72. l. 22. pro *Rgum l. Regum*. p. 74. l. 4. pro *ſurragatione l. ſur-*
rogatione. p. 75. l. 5. pro *deſcetes l. descendentes*. p. 77. l. 26. pro *cum l. cum*.
p. 79. l. 21. pro *ſuccend. l. ſucced.* p. 80. l. 24. ante voc. *multo* pone *ita*. p. 81. l. 3.
pro *revertetur l. reverteretur*. p. 83. l. 26. pro *ſaxore l. favore* & l. 27. pro
ſeculo l. feudo. p. 86. l. 23. pro *alter p. alterum*. p. 87. l. 12. pro *ne l. nec*. p. 93.
l. II. dele *d. Diſp.* & l. 16. pro *oblatum l. ablatum*. p. 94. l. 29. pro *translatto*
l. transactio. p. 96. l. 6. pro *teritorium l. territorium*. & l. 7. pro *exaſa l. ex-*
acta. & l. 22. pro *ſranum l. frenum*. p. 99. l. 19. pro *docenre l. docente*. & l. 25.
pro *aliter l. aliter*. p. 100. l. 4. pro *obligat l. obligat.* & l. 25. pro *maleficium*
l. maleficium. p. 109. l. 8. pro *E l. Et*. p. 110. l. 26. pro *injuffiſſam. l. juſtiſſi-*
ſſam. p. 114. l. 23. pro *neceſſitate l. neceſſitate*.

Leviora vel omiſſione vel adjectione vel tranſpoſitione vel mutila-
tione aut ſyllabæ aut vocabuli aut commatis commiſſa & inter
relegendum omiſſa Lectoris modeſtiſſimi huma-
nitas emendabit.



